Schenkung



John Carter Brown
Library
Brown University

BN 16374 PRX

[illegible]. [illegible]

Geschenk v. H. Dr. C. [illegible]. [illegible]

J. H. RAHN, M. D.

ADVERSARIA

MEDICO PRACTICA.

VOLUMEN PRIMUM.

TURICI
APUD JO. CASP. FUESSLI. FIL.
MDCCLXXIX.

VIRO

ILLUSTRI EXPERIENTISSIMO

JO. ANDREÆ MURRAY, D.

MEDICINÆ ET BOTANICES IN ACADEMIA R. GOTTING. PROFESS. PUBL. ORD. HORTI R. BOTAN. PRÆFECTO R. ACAD. SCIENT. GOTTING. ET STOCKHOLM. SOC. MED. HAFN. OECONOM. BERNENS. ET CELLENS. MEMBRO.

VIRO

ILLUSTRI EXPERIENTISSIMO

AUG. GOTTLIEB RICHTER, D.

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA R. GOTTING. PROFESSORI PUBL. ORD. COLLEG. CHIR. PRÆSIDI R. ACADEM. SCIENT. GOTTING. ET STOCKHOLM. SOC. MED. HAFN. MEMBRO.

PRÆCEPTORIBUS FAUTORIBUS AMICIS
MAXUMIS OPTUMIS

OPELLAM HANCCE IN TESTIMONIUM
ANIMI OB SOLIDISSIMAM AB IPSIS
ACCFPTAM DOCTRINAM DE-
VINCTISSIMI PUBLICUM.

D. D. D.

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Licet omnino multo majorem laudem mereantur, qui inveniendis novis medendi methodis & remediis contra hunc illumve morbum ſpecificis inſudant, minime tamen illorum vituperandum eſt ſtudium, qui tot ſeculorum experimenta ac experientias repetunt, confirmant, exactius determinant, jam inventorum notiones examinant, dilatant, limitant, rectificant; qui e. gr. ſpecialiſſimam quandam doctrinam, ſingulum quendam morbum, novo & accuratiori examini ſubjiciunt, obſervationes circa ullum numeroſe factas, atque morbi naturam, decurſum, ſymptomata, cauſas, ſigna, exitus illuſtrantes, undique colligunt, conferunt, diſponunt, exacta lance ponderant, atque exinde regulas praxeos tam univerſales, quam particulares cum omnibus hactenus obſervatis exceptionibus abſtrahunt; vel qui in ſingulari quo-

quodam medicamento trutinando verſantur, omnes quæ circa ejus vim hactenus exſtant experientias colligunt, invicem & cum morbi, cui opponitur, natura comparant, atque his rectam adhibendi methodum ſuperſtruunt. Neque enim breviori & tutiori via ad certitudinem poſſibilem artem medicam perducemus, a falſis hypotheſibus & erroribus repurgabimus, enormem illum & ſæpe e diametro ſibi oppoſitum diſſenſum in methodo medendi remediorumque præſcriptione in hac vel illa ægritudine, in hoc vel illo ſubjecto, componemus.

Idem etiam finis eſt, quem mihi in adverſariis hiſce medico practicis conſcribendis propoſui, nimirum non tam ut obſervationum medicarum novitate & raritate ſeſe commendantium numerum augerem, ſed potius, ut ea, quæ in horis a praxi clinica & tironum medicorum inſtitutione vacuis ſubſecivis, aſſidua librorum tum veterum tum recentiorum optimorum medicorum lectione, ad morborum hiſtoriam & remediorum vires illuſtrandas facientia, ratione & propria qualicunque experientia ductus, erueram, in talem ordinem digererem, qui vel dilucidandæ difficiliorum neque hactenus intime cognitorum morborum naturæ, vel

inti-

accuratius determinandis remediorum viribus inſervire, vel tandem & præcipue optimos commilitones, qui inſtitutione mea in variis medicinæ partibus utuntur, in ipſo artis exercitio juvare optime poſſet.

Continebunt ergo hæc collectanea varias commentationes, quæ pathologiam, ſemioticam, & generales medendi methodos, ſive confirmant, ſive ulterius perficiant; deſcriptiones conſtitutionum epidemicarum, accuratiores quorundam morborum generum & ſpecierum delineationes; diſſertationes, ſingulares morborum progreſſus, eventus, cauſas, enarrantes, remediorum efficacium effectus ſive proſperos ſive infauſtos enumerantes, rectam eorum applicationem illuſtrantes. Quorum quidem ſpecimen eſto prolixior quidam tractatus de uſu corticis peruviani recto & ſalutari; quo quippe remedio in materia medica vix dignius datur objectum, cum virtutum ſuarum ambitu primum omnino inter reliqua remedia facile obtineat locum; dicent quidam, me Iliada poſt Homerum ſcribere, actos diu labores præter rem denuo agere, immenſumque fere de cortice chinæ tractationum, commentationum, diſſertationum, numerum ſuperflua opera augere; interim argumentum hocce

adeo

adeo non omni numero hactenus abſolutum eſſe puto, ut potius opinionibus, præjudiciis atque hypotheſibus intermiſtis, adhuc laboret, multaque corrigenda & expungenda, alia addenda & accuratius definienda relinquat; neque hactenus peractum eſſe credo, quod dudum erat in votis clariſſimorum in arte virorum, inter quos Ill. Tralles & Grainger nominaſſe ſufficiat, ut quidam rerum gnarus ex experientiarum inde a remedii hujus detectione a medicis collectarum inter ſe conſenſu, aut ex variarum experientiarum diſſentientium correctione & conciliatione, rectum corticis uſum in morbis ſiſteret, atque circumſtantias morbidas, in quibus vel prodeſt vel laedit, accuratius determinaret; & uti vere practicus in materiam medicam liber nobis adhuc deeſt, in quo nullæ niſi certæ & exploratæ vires traderentur, adjuncta doſi, cautelis & præparandi rite corpus modo; ſic quoque vera Chinologia ab omnibus erroribus repurgata adhuc in deſideriis eſt; unicam illam ſi excipias, quam nuperrime in Apparatus Medicaminum Tomo primo ſolidiſſimam, & pro arctioribus quos rerum ubertas præſcribebat limitibus abſolutiſſimam, orbi litterato communicavit Ill. Murray, cujus venerandi Præceptoris, uti diſcipulum olim fuiſſe glorior, ſic nunc com-

men-

mentatorem agere eo minus dubito, cum ipſe ad hunc laborem ſuſcipiundum benigne me excitaverit atque ſtimulaverit. Interim difficile argumentum me exponendum ſumſiſſe non neſcio; propoſuit quidem cl. TRALLES exemplar, quomodo omnium remediorum heroicorum, & aliorum, dextra & ſiniſtra adhibitio in uſus clinicos foret explicanda, quod pro viribus meis imitari anniſus ſum; ſi vero normam illam, ſecundum quam Ill. WERLHOF chinologiam veram elaborandam eſſe poſcebat, operi meo applico, longe pauciſſima eorum me præſtitiſſe confiteor. „ Præmitti debet, dicit ille, illi „ perquiſitioni hiſtoria accurata effectuum „ hujus remedii, qui, pro varia ratione me- „ thodi & miſcelæ, varii ſunt, in corpus „ humanum ſanum & ægrotum, inque di- „ verſos ejus humores, fibras, motus, ſanos „ morboſosque, tum intra corpus, tum ex- „ trinſecus, ſi cui humori admiſceatur, vel „ loco applicetur. Præcedere debet diſtincta, „ & ab omnibus opinionibus liberata hiſto- „ ria, & quantum ſine incerta opinatione „ fieri poteſt, juſta ætiologia morborum, „ ſymptomatum, conſtitutionum, ubi juvat „ cortex, aut nocet; notandum accurate, „ quid proficiendo vel officiendo præſtet, „ & qua forte rerum illarum mutatione,

„ quave

„ quave methodo, aut mixtione, aut quibus
„ præmiſſis vel ſubjunctis, noxa vel utilitas
„ impediatur, aut mutetur; interea etiam
„ chemicis phyſicisque artificiis, ignis tor-
„ tura, ſpectaculis microſcopicis, chirurgia
„ infuſoria, & variarum rerum miſcela, ex-
„ plorare partem naturæ medicamenti lice-
„ bit; ex re etiam fuerit aliorum remedio-
„ rum efficaciam & naturam ſimiliter ex-
„ piſcari, ut comparata juxta ſe poſita magis
„ eluceſcant; tunc forſan ſolidius judicium
„ efformari poterit, quid de modo agendi
„ ſtatuendum ſit, quidque inquirendum ſu-
„ perſit, qua in re poſteritas ultima habebit
„ adhuc, ubi humani ingenii & artis vires
„ experiatur. „ Contentus interim ero, ſi
ex opella hac mea, utut tenui ac levidenſi,
aliquod emolumentum in ægrum proximum
redundaverit; quam ſi haud prorſus diſpli-
cuiſſe idoneis Cenſoribus intellexero, eo ma-
jori ſtudio annitar, ut tractatus hujus pars
poſterior, uſum corticis peruviani in morbis
chronicis ſiſtens, accuratius elaborata hanc
proxime ſequatur, niſi forſan inchoata nuper
in promtuario medico ab Ill. Baldinger
ejusdem thematis tractatio hujus continuatio-
nem tunc prorſus ſuperfluam reddiderit.

USUS
CORTICIS PERUVIANI
SALUTARIS ET NOXIUS.

PARS PRIOR

ſiſtens

CORTICIS PERUVIANI USUM

IN

FEBRIBUS.

Quæ profuerunt, ob rectum uſum profuerunt, quæ vero nocuerunt, ob id, quod non recte uſurpata ſunt, nocuerunt.

HIPPOCRATES.

Sive dixeris, pharmaca nihil eſſe ſola per ſe ipſa, recte dices; nihil enim ſunt, niſi recte eis utentem fuerint adepta. Sive rurſus pharmaca veluti Deorum manus eſſe dixeris, etiam hoc recte dices; juvant enim maxime, ſi is, qui eis utitur fuerit in rationali methodo exercitatus & ſimul natura prudens.

GALENUS.

ELENCHUS.

SECTIO I. *exponit Hiſtoriam naturalem corticis peruviani. p.* 1 - 63. *Locus natalis. p.* 2. *Arboris deſcriptio. p.* 3. *Corticis collectio. p.* 4. *characteres optimi corticis. p.* 6. *virtutis febrifugæ detectio. p.* 7. *varia corticis fata. p.* 9. *vis ejus ad febres continuas præſertim putridas p.* 14. *morbos nervorum. p.* 16. *morbos ex ſolidorum laxitate, p.* 17. *obſtructionibus viſcerum, humorum cacochymia oriundos. p.* 18. *ad hæmorrhagias. p.* 19. *gangrænam. p.* 20. *extenſa.*

Corticis analyſis. p. 23. *modus quo virtutem antifebrilem ſuam exerceat. p.* 28 - 40. *virtutis antiſepticæ reliquarumque ratio. p.* 40 - 44.

Varii remedium adhibendi modi, remedii præparationes, doſes. p. 45 - 62.

SECTIO II. *Uſum Corticis in febribus intermittentibus ſpeciatim docet. p.* 63 - 231.

CAP. I. *virtus contra febres intermittentes ſpecifica declaratur. p.* 63. *objectiones ejus uſui oppoſitæ refutantur. p.* 66 - 88. *præparatio corporis ante ejus uſum neceſſaria. p.* 91 - 112. *corticem exhibendi ratio, ratione temporis, præparationis remedii, quantitatis, doſis, miſcelæ, continuationis. p.* 115 - 160. *uſus remedii externus. p.* 160 - 163.

CAP. II. *Uſus corticis in febribus intermittentibus complicatis. p.* 166. *& quidem cum exanthematibus. p.* 173. *cum morbis chronicis cacochymicis. p.* 176. *arthritide. p.* 177. *[illegible]bie. p.* 177. *lue venerea. p.* 179.

p. 179. *ſcorbuto. p.* 180. *ictero. p.* 181. *tympanitide. p.* 183. *hydrope. p.* 184. *phthiſi. p.* 188.

CAP. III. *Uſus Corticis in febribus intermittentibus malignis. p.* 192. *ſoporoſis. p.* 200. *convulſivis. p.* 208. *cum deliriis. p.* 212. *aſthmate complicatis. p.* 213. *ſyncopalibus. p.* 215. *algidis. p.* 216. *diaphoreticis. p.* 217. *colicis. p.* 218. *cholericis & dyſentericis. p.* 219. *remittentibus intermittentes ſimulantibus. p.* 221.

CAP. IV. *Uſus corticis in affectionibus periodicis non febrilibus. p.* 223.

SECTIO III. *Uſum corticis in febribus continuis continet.*

CAP. I. *Uſus corticis in febribus continuis in genere p.* 232. *& ſpeciatim in febribus inflammatoriis. p.* 241. *bilioſis. p.* 252. *bilioſis putridis. p.* 262. *bilioſis malignis. p.* 271. *verminoſis. p.* 279. *pituitoſis putridis. p.* 282. *putridis ſanguineis. p.* 286. *febribus malignis. p.* 299. *nervoſis lentis. p.* 304.

CAP. II. *Specialiſſime uſus corticis docetur in febribus cum inflammationibns. p.* 308. *angina. p.* 309. *catarrhis. p.* 318. *pleuritide vel peripneumonia. p.* 330. *rheumatiſmis. p.* 344. *junctis.*

CAP. III. *Uſus corticis ad febres exanthematicas applicatur. p.* 352. *& quidem ad peſtem. p.* 353. *variolas. p.* 357. *morbillos. p.* 87, *ſcarlatinam. p.* 392. *miliaria. p.* 396. *aphthas. p.* 401. *petechias. p.* 403. *eryſipelas. p.* 407.

SECTIO I.

EXPONENS

HISTORIAM NATURALEM

CORTICIS PERUVIANI.

Cum hiſtorica medicamentorum ſimplicium cognitio baſis ſit reliquorum omnium, quæ de ipſis ſcitu ſunt neceſſaria, etiam tractationi noſtræ de recto Corticis Peruviani uſu, brevem deſcriptionem remedii botanicam & chemicam, atque hiſtoricam expoſitionem originis, progreſſus, variorumque ipſius fatorum præmittimus.

Cortex Peruvianus, vel *China Chinæ*, *Quinquina*, i. e. cortex corticum, ſimilis eſt cortici junioris Quercus, extus ſcaber, fuſcus, interdum lichene obſeſſus, intus lævis ferrugineus, ſaporis ſubadſtringentis, amari minus grati, odoris proprii aromatici. Licet hic cortex jam ab anno 1639.

 in

in Hiſpania & Italia innotuerat, accurata tamen arboris, de qua colligitur, cognitio fere per totum ſeculum latebat, quippe ſpecifica remedii vi cognita contenti, de cæteris acquieſcebant, incertisque & mancis deſcriptionibus, quas primus M. ANTON. BOLLUS, mercator Genuenſis in Epiſtola italice ſcripta, & ex hac SEBAST. BADVS (*in Anaſtaſi Cort. Per. Genua* 1663.) dederunt, fidem adhibebant; uſque dum remedii fama, & commune civium bonum Academiæ Pariſinæ induſtriam incitaverant, ut hiſtoriæ naturalis peritiſſimis ſodalibus ILL. DE LA CONDAMINE & IUSSIEU accuratiorem Remedii inquiſitionem in ipſo loco natali demandarent, qui Anno 1737. Loxam profecti, exactam arboris illius deſcriptionem exaraverunt & Academiæ communicarunt, cuius Actis dein una cum pulcerrima icone inſerebatur. vid. *Mem. de l' Acad. d. Sc. de Paris* 1738. *p.* 226.

Creſcit autem Arbor hæc in regno Peruviano, & quidem in Provincia Quito, circa urbem Loxam. Optimas arbores in monte Cajenuma, duobus circiter milliaribus ab illa urbe diſtante inveniri, olim tradebant; accuratior vero inquiſitio docuit, easdem non in hac ſolum, ſed in tota iſta catena montium, quæ inde uſque ad 30 milliaria auſtrum, & 20 milliaria ſeptentrionem verſus ſeſe extendit, in territoriis Ayavacca, Riobamba, Jaen, Cuença, inveniri. vid. DE LA

CONDA-

CONDAMINE *l. c.* ARROT *in Phil. Trans. Vol. XL. n.* 446. *p.* 81. ULLOA *Voyage de l'Amerique meridionale Tom. I. pag* 276. *Hiſt., Philoſ. & polit. d. etabl. & du commerce d. Eur. dans les deux Indes. T. III. p.* 197. Non confertim vero, ſed ſparſim inter alias, ſolitarie creſcit arbor, excelſa & craſſa, ſuperans interdum craſſitiem corporis humani, quæ tamen hodie multum imminuta, ita ut vix ultra duodecim pedes longa nec brachio craſſior reperiatur; cum nimis frequenti decorticatione arboris incrementum impediatur; hinc non iniuſtus metus oritur, ne olim inopia digniſſimi remedii fiat, quum de plantatione non cogitetur, quem tamen ſpontanea diſſeminatio & facilis propagatio arboris minuunt. Lignum arboris grave eſt reſpectu voluminis. Rami parum divaricati, teretes, punctis albicantibus inſperſis. Folia ſimplicia, oppoſita, ovatooblonga, integerrima, petiolata, duos pollices latitudine, tres longitudine æquantia, lævia, eleganter viridia, ſapore aromatico prædita. Flores paniculati, corolla monopetala infundibiliformis quinquefida, colore cæruleo prædita, ſtamina quinque, piſtillum unum, perianthium monophyllum arcte ovarium cingens, quinquedentatum, perſiſtens. Fructus calice ſuperſtite cinctus ventricoſus, bifariam dehiſcens, bilocularis, ſepto complanato diſtinctus; intra ſeptum & pericarpii parietes nidulantur ſemina plurima, placentæ adnata, marginata.

A 2 Pen-

Pentandris monogynis ideo a Cel. LINNEO in Syſtemate ſexuali, *contortis* autem plantis in ordine naturali accenſita, & *Cinchona officinalis* denominata. (*Syſt. veget. p.* 178. *Gen. pl. p.* 91.)

Virtus medica præcipue in cortice arboris reſidet, qui & unice in uſum adhibetur. Reſina enim e ligno exſudans, & fructus, quibus a quibusdam vis medica illi corticis ſimilis adſcribitur, (BADUS l. c. C. 1.) non hujus, ſed alius arboris producta ſunt, nimirum Quinæ Quinæ, arboris americæ meridionalis hoſpitis, (cujus cortex quidem quoque eximia amaritie, & vi antifebrili gaudet, multo tamen præ illa corticis peruviani minore, reſina vero fragrante odore prædita vel carbonibus injecta ad ſuffimigia, vel ad linimenta & emplaſtra nervina uſurpatur. (CONDAMINE l. c.) In ſeligendo vero cortice alii corticem trunci commendarunt, (LISTER *de hydrophob. mant. p.* 56.) craſſitiei & latitudinis volæ manus, magnis & profundis ſulcis conſpicuum; alii corticem radicum extollunt, lineolis transverſim ſuperficiem ſecantibus dignoſcendum (BIET *Diar. Trivult. A.* 1707. SPONIUS *obſerv. ſur les fievres & febrifuges*, & Auctor *des admirables effets du Quinquina* p. 29.) Corticem externum fructus primum in uſu fuiſſe, & ab indigenis, præ alio trunci & ramorum, maximi fieri, teſtatur OLIVER (*Phil. Trans. vol.* 24. *n.* 290.) Rectius MORTON cortici ramulorum teneriori

riori prærogativam dat, (*Oper. Edit. Amſtel. T. II. pag.* 98.) cum facilius ſiccari, ſiccatus conſervari & transmitti poſſit, gummoſis & reſinoſis partibus valde abundet. Tres autem corticis varietates diſtinguunt, albam, luteam & rubram; *alba* in apice montium ſeparatim a cæteris, *lutea* & *rubra* ſibi invicem immixtæ creſcunt, neque diverſæ ſpecies ſed varietates tantum eſſe videntur, ſolo & vario caloris gradui, quæ colorem mutant, & vires vel augent vel minuunt, adſcribendæ. (CONDAMINE l. c.) Albae vires exiguæ ſunt, niſi recentis, (ARROT l. c.) ſumma efficacia rubræ tribuitur.

Collectionem corticis quod attinet, eam menſe Septembri ad Novembrem uſque inſtituunt, cum reliquis anni temporibus perpetua pluvia eam difficiliorem reddat. Cultro nimirum arborum ramos incidunt, corticem detrahunt, liberoque aere projiciunt, & crebro agitando ſiccant. Lucri cauſa ſponte vulgari opinioni valedixerunt, quæ ad meliorem virtutis conſervationem in decremento tantum lunæ & orientem verſus decorticationem inſtituendam eſſe juſſit; & omnem ſiccam tempeſtatem collectioni aptam cenſent, eam tantum obſervantes cautionem, ut per plures dies collectus cortex in ſicco loco ſervetur, nec niſi poſt omnem amiſſam humiditatem ſarcinetur. (CONDAMINE & ARROT. l. c.)

Excogitavit autem lucri majoris cupido varias fraudulentas artes, quibus vel verum & integrum corticem aliis ſimilibus corticibus miſcuere, vel corruptum & effoetum correxerunt. Hinc corticem repetitis infuſionibus jam viribus orbatum, vel alias viribus debiliorem, ſucco aloes vel alio amaro intingunt, ipſique perditam amaritiem reſtituunt, quæ fraus jam A 1660 a Pharmacopola Collegii romani detecta fuit; (MORTON *l. c. p.* 96. BLEGNY *Rem. angl. p.* 23.) vel corticem Cascarillæ, Quinæ Quinæ, Mahogoni, Alizier, aliosque vero cortici admiſcent ſubſtituuntve.

Multum itaque refert, characteres optimi corticis probe noſſe. Eligendus fibris longitudinalibus criſpatus, inciſuris parallelis diſtinctus, convolutus, modice craſſus, attamen ponderoſus, cujus ſuperficies externa fuſca, aut nigricans, pallidis hinc inde punctis maculata, muſco candeſcente inſidente -- interna cinamomeo vel ferrugineo colore prædita; qui ab aqua non facile penetrabilis, a ligno ſubjecto probe ſeparatus -- manibus facile frangitur, ita ut neque in pulverem fatiſcat, neque in fibras longas diſcerpatur, fruſtis diffractis ſoli expoſitis ſplendeſcentibus -- cujus fibrillæ pili inſtar tenuis facile ſeparari poſſunt, qui odorem aromaticum mucidum habet; dentibus tritus facile friabilis; maſticatus cum ſaliva

cito

cito in maſſam ſpumantem ſubigitur, & amarore nauſeoſo ſubadſtringente linguam ferit; cujus pulvis piſtilli ictibus fere volatilis fit; decoctus multum ſpumat, & aquam cum eo decoctam rubicundo colore tingit, qui vero ut primum refrixerit & ſedimentum dejecerit, in pallidum mutatur. Rejiciendus denſior, ligno leviori immixtus, flavus, vermibus exeſus, dentibus tritus viſcidus, ligneus, ſaporis vel nulli vel auſteri acerbi, vel corrupti, odoris minus aromatici; extus albus, intus griſeus. Diſtinguendus a Caſcarilla, quæ gratiore ſapore & odore & majore ponderoſitate prædita; a Cortice d' Alizier, extus albido, intus rubicundo, ſaporis fortioris adſtringentis; a Quina Quina evidentius amara. Flavus vero color, quem aqua ex ipſo extrahit, Curcuma vel Aloe tinctum produnt.

Præcipua vero virtus, qua cortex hic tantam ſibi paraverat famam, in vi febrifuga conſiſtit; & hæc quidem Americanis diu ante adventum Hiſpanorum nota fuiſſe videtur, qui febricitantibus corticem hunc contritum aqua per diem infuſum & dein colatum certiſſimo cum eventu propinarunt. Quam quidem vim alii ex Leonibus didiciſſe ferunt, quos febre intermittente quadam correptos inſtinctu in corticem hunc medelæ cauſa delatos obſervabant; alii vero febrientem Americanum ſedandæ ſitis cauſa accurriſſe ad ſtagnum referunt, in quod aliquot arbores Chinchinæ in-

cidiſſent, aquam potatum, utut amaram, unde præter opinionem febre liberabatur, quod idem conſilium poſtea ejus ſuaſu alios cepiſſe in febre eodem eventu, donec invaleſcens aquæ ex arboribus putredo aquam inertem redderet. (GEOFFROY *mat. med. Traité. p.* 78.) Latuit vero reliquum orbem remedii laudata virtus, & ultra unum & fere dimidium ſeculum ab incolis ex perpetuo verſus Europæos, præſertim Hiſpanos, odio celabatur, nimirum usque ad anum 1638, quo referente BOLLO (l. c.) fortuito caſu detegebatur. Cum enim in civitate Limenſi uxor Proregis, Comitiſſa del Cinchon, febre tertiana ſæviſſima correpta funeſte decumbere videretur, rumorque divulgatus tandem ad Loxam uſque perveniret, hiſpanus illius loci Præfectus, ab Americano quodam illo arcano in beneficiorum memoriam olim munitus, per litteras Proregi remedium, cujus auxilio ægram illico ſanitatem recuperaturam ſpondebat, offerebat. Vocabatur Limam Præfectus, ut tum methodum præparandi remedii oſtenderet, tum in aliis ægris remedii promiſſam efficaciam probaret, quo facto & Proregina medicamento uſa & mox reſtituta fuit. Copia dein remedii Proreginæ juſſu Limam mittebatur, quod poſtea ipſa ægris diſtribuebat, unde ſub nomine *pulveris Comitiſſæ* inclareſcere cœpit. -- Cum vero poſt aliquod tempus remedii diſpenſatio tædioſa ipſi eſſe inceperat, eam Patribus

bus Societatis Jeſu reliquit: hinc dictus *pulvis Jeſuitarum.* Hi vero ejusdem remedii portionem per Procuratorem Generalem Cardinali DE LUGO mittebant, qui corticis *pulverem* nunc *cardinalem*, in ſuo Palatio, dein vero in Pharmacopœa Jeſuitarum diſtribui juſſit, pauperibus fruſtra, cæteris pari argenti pondere ſoluto. Methodus vero remedium propinandi in *Schedula* ſic dicta *Romana* docebatur. Ipſe Procurator in itinere ſuo gallico LUDOVICUM XIV, tum adhuc Delphinum, eadem medicina febre liberavit. Reducibus Comite DEL CINCHON in Hiſpaniam Anno 1640. promulgata amplius ejus efficacia fuit, cum magnam copiam Medicus Comitis I. DE VEGA in patriam transportaſſet, cujus libram 100 Realibus vendebat. Celeri nunc progreſſu novis quotidie inſtitutis & eodem effectu coronatis experimentis per totam Europam ſpargebatur, & ubicunque gentium in uſum recipiebatur. Cum vero quantitas allati corticis diſtributioni non ſufficiebat, & plurimis Loxæ decorticatis arboribus veri et integri penuria, hinc plurium ſpecierum confuſio variaeqne fraudulentiae contingebant, ideoque remedium optato ſuo effectu ſæpe deſtituebatur; multi inſuper Medicorum ſuis potius quam aliorum commodis ſtudentes, et metuentes, ne hac ſuccincta methodo febres curandi ægrorum crumenas emulgendi occaſio tolleretur, remedium novum ſupprimi potius quam attolli optabant; alii præjudicatis opinionibus

 falſis-

falſisque de febrium natura hypotheſibus ducebantur, quam in humoribus qualitate peccantibus præcipue locabant; hinc factum eſt, ut multi corticem tanquam remedium noxium convitiis jactarent atque condemnarent, ſive quod ſine ſenſibili evacuatione febres tolleret, (CHRYS. MAGNESIUS Epiſt. ad HIER. BARDI 1652.) ſive propter ſiccitatem et caliditatem, (GAUDENTIUS BRUNACLI *de Cina Cina, Syntagma phyſiolog. Venet* 1661,) vel propter frigiditatem et narcoticam naturam, (ROCHUS CASATUS,) vel ob recidivationes febrium poſt ejus uſus frequentiores vimque figentem obſtruentem; (J. J. CHIFLET *pulv. febrif. amer. ventil. Lovan.* 1653. VOPISCUS PLEMPIUS *Pulv. Per. febrif. defenſor repulſus. Lovan.* 1655.) et ſic innumeræ fere inanes et nugæ controverſiæ ex doctrina humoriſtarum ortæ inter doctiſſimos viros cum ſpecie eruditionis et zelo agitatæ ſunt per decennium fere a primo Corticis in Europam adventu; non defuerunt quidem, qui hos contra Corticis cauſam agebant, & ab iniquis judiciis vindicabant; & primus quidem ROLANDUS STURMIUS (*Cort. Chin. ejusque virium deſcriptio Antvverp.* 1659.) tutelam corticis publice ſuſcepit, propriisque experimentis præpollentem ejus energiam reſuſcitavit; poſt hunc SEBASTIANUS BADUS (*in anaſtaſ. Corticis A.* 1663. *edita.*) CHIFLETUM, PLEMPIUM reliquosque Corticis hoſtes redarguit, vires ejus ſalutares plurimis teſtimoniis comprobauit & cauſam febrifugi

docte

docte & argute vindicavit; primus etiam fuit, qui poſthabita humorum & evacuationum ſenſibilium atque qualitatum manifeſtarum doctrina, vires hujus remedii ab ejusdem occultis qualitatibus deducere ſatagebat. Reluctabantur interim & obſtrepuere multorum locorum Medici corticis uſui, ita ut, teſtante FRASSONO, qui ejus uſum inter primos in Italia introduxit, tot ibidem obtrectatores habuerit, ut exul non amplius auſus fuerit in Pharmacopœas introire, ſed quaſi clam intra clauſtra quarundam Monialium ſeſe recipere fuerit coactus, unde illum petere cogebatur vir ſolertiſſimus, ut ægris ſibi commiſſis ſubminiſtraret. (TORTI *Therap. ſpec. ad febres pernic. p.* 3.) Feliciori tandem cum eventu ſubvenit titubanti remedii gloriæ Empiricus Anglus, ROBERTUS TALBOR, qui ſe pyretiatrum jactans, & genio hominum ſeſe accommodans corticem ſub perſona arcani diſtribuerat illudque (in *Pyretologia, or the caſe and cure of agues, Lond.* 1672.) allatis experimentis celebrauerat, ſtudioſe quidem remedii nomen celans, quin & ipſum pernicioſum corticem eſſe ſimulans; quod famoſum arcanum dein LUDOVICUS XIV. ſolutis poſſeſſori duobus millibus Ludovicorum aureorum, annuo Stipendio totidem Francorum, conceſſaque Equitis dignitate, ſibi vindicavit. Cum vero ex cortice variis formulis pro re nata tecto conſtare arcanum nunc detectum fuerit, Regis juſſu non ſolum copia genuini corticis

cis in Galliam transferebatur, & in Noſocomiis gratis, in pharmacopoliis vero æquo pretio diſtribuebatur, ſed & methodi remedium adhibendi deſcriptio Archiatro Regis demandabatur. (*Le remede Anglois pour la Gueriſon des fievres, publié par ordre du Roi, par* NIC. DE BLEGNY, *Lyon* 1680. 12. item, EJUSDEM *Libellus, les admirables effects du Quinquina.*) Et ex hoc tempore denuo ejus uſus ubivis locorum introducebatur, innumeris feliciſſimis experimentis ſummorum omnium gentium Medicorum, in Anglia SYDENHAMI, MORTONI, FREINDII, LISTERI, BOYLEI, JONES, in Italia, TORTI, BIANCHI, LANCISII, COCCHI, in Helvetia, a MURALTO, BRUNNERI, in Belgio BOERHAAVII, DECKERI, in Germania BOHNII, BERGERI, WALDSCHMIDII, DOLAEI, COHAUSENII, comprobatus; juſta adhibendi methodus certioribus ſanioris & morborum accuratiori obſervationi innixæ Theoriæ fundamentis ſuperſtructa, in recentiorum inprimis ſagaciſſimorum Medicorum HOFMANNI, WERLHOFII, SWIETENII, SENACI, MONROI, GRAINGERI, PRINGLII, ROSENSTEINII, CLEGHORNII, TISSOTI, MEDICI ſcriptis tradita. Supererant quidem & recentioribus temporibus nonnulli, qui vel corticem condemnabant, vel in ejus efficacia ſive laudanda ſive vituperanda nimis fluctuabant. In his præcipuus fuit RAMAZZINUS qui, licet ſuperio-

ribus

ribus praxeos temporibus ſummo in corticem Peruvianum ferebatur affectu, poſterioribus vero minus tutum & quo facile carere poſſimus, prædicabat; (*Oper Med. Lond.* 1718. *p.* 127.) etiam BAGLIV (*Oper Med. Lugd.* 1745. *p.* 590.) licet abuſum remedii potius quam uſum damnaſſet, raro tamen eo utebatur; aliaque magis ſecura remedia præferebat. In Germania quoque STAHL (*Op. Phyſ. Med. p.* 432.) JUNCKER (*conſp. med. pract. p.* 261. *variisque Diſſert.*) ETTMULLER (*Oper. T. II. p.* 277.) HENRICI (*Diſſ. de uſu Ch. Ch. cauto & ſuſpecto, Hal.* 1713.) BLONDEL (*Act. Erud. A.* 1734. *m. Octobr.*) imprimis vero & acerrime contra WERLHOFIUM, ANDR. OTTOM. GOELIKE, (*Diſſ. de impoſtura Cort.* altera *de ejus uſu noxio licet recto,* tertia *de laude febris falſo ſuſpecta,*) corticis uſum ſuſpectum reddere conati ſunt, quorum vero objectiones tum obſervationibus innumeris quotidie repetitis, tum ſolidiſſimis reſponſis cl. BERGER (*China China ab iniquis judiciis vindicata, Witteberg* 1711.) COCCHI (*Cort. Per. vindiciæ, Rom.* 1746.) BOHN (*Diſſ. de fuga febr. minus ſuſpecta,*) TORTI (*Reſponſ. Iatroapologet, Oper. annex.*) RICHA (*Conſt. Epid. Taur.* 1723. *p.* 66.) WERLHOF (*Caut. Med. Op. T. II.*) GMELIN (*Diſſ. de innocuo & egregio Cort. Per. uſu, Tubing.* 1754.) aliorumque ſcriptis ſatis refulſæ, remediique ſecuritas, effectus conſtantia, virtutis præpollentia,

adeo

adeo extra omne dubium poſita ſunt, ut minus quidem mireris, recentiſſimis temporibus empiricum quendam Medico-chirurgum, S. J. BOUSQUET in libro quodam (*ſur l' abus du Chinchina, Stokholm* 1766. Suecos Medicos liberalioris corticis uſus accuſaſſe; quam tibi explicare poſſis, Celeberrimum & nimis matura morte nobis ereptum ROD. AUG. VOGEL (in *præl. acad.* p. 17.) contendere, noxium quidem corticem minimê eſſe, tantam vero laudem, quam multi medici hodie ipſi tribuunt, omnibus aliis febrifugis tanquam præcellentiſſimum eum præferentes, certe non mereri, ſed potius infimum fere inter hæc locum occupare.

Quantamcunque vero efficaciam Corticem in intermittentibus febribus præſtare obſervarint Medici, tantam quoque in aliis febrium generibus mirati ſunt vim atque præſtantiam. Primus quippe RICHARDUS MORTON multa experientia edoctus evicit atque demonſtravit, Corticem in febribus non ſolum intermittentibus, ſed etiam in iis, quæ ex continuis remitterent, ut & in remittentibus præſtantiſſimum eſſe remedium, præſertim ubicunque febres ſive anomala ſymptomata affectarent, ſive in malignitatem declinarent; quod idem quoque demonſtraverunt Cl. TORTI, RICHA & præſertim Cl. WERLHOF, qui in continuis, ubi notabiles longæque ſaltem remiſ-

ſiones

ſiones adſint; præſertim in febribus iſtis remittentibus perniciofis, quæ vel manifeſto ex intermittentium indole ſunt, vel ab initio intermittentes duplicatis prolongatisque paroxysmis in continuam typum degenerarunt, horrendis & cito lethalibus ſymptomatibus, ſopore, apoplexia, tetano, convulſionibus, cholera, dyſenteria ſtipatis, ſummum & unicum fere in cortice poſitum eſſe auxilium docuere. Summam inſuper vim habere in febribus cum univerſa humorum corruptione putrida junctis, HUXHAMI, PRINGLII, MONROI, WALLI, HAENII obſervationes abunde confirmarunt; ita ut in febribus putridis cum petechiis, vibicibus, gangrænoſisque partium corruptionibus ſtipatis, in variolis, morbillis putridis, quin ipſa peſte non ab alio remedio promtius auxilium exſpectare liceat, quam a Cortice juſtis ſub conditionibus exhibito; & in genere in continuis nullum hactenus proſtare remedium, quod æque vires roboret, putredinem corrigat, orgasmos paroxyſticos infringat, coctionem & criſin virium naturæ debilitate retardatas promoveat, imbecilitatem corpori relictam tollat, ſecretionum & excretionum libertatem reſtituat, uti cortex debito tempore, ordine, doſi, reliquisque conditionibus adhibitus. Quin etiam in febribus longis, egregiam ſæpe opem præſtare, ſive pertinacior febris, humornm tenuitas & corruptio, vel ſolidorum laxitas, chylopoieſis difficultas

cultas, antifebrile, roborans & balſamicum medicamentum poſtulaverint; hinc in febribus nervoſis lentis, hecticis, eximiam ferre opem; etiam in phtiſicis, antequam ad ipſam ſuppurationem agri ſtatus pervenerit, tum ad infringenda molimina febrilia, tum ad roboranda viſcera aliena colluvie debilitata, tum ad humores nimis tenues condenſandos, acres corrigendos, egregie interdum juvare, eædem MORTONI, WERLHOFII, SWIETENII, HAENII obſervationes teſtantur.

Cum vero febrifuga Corticis proprietas inſignem nervinam roborantem vim ipſi ineſſe manifeſte doceret, hinc factum eſt, ut Medici in detecta illa virtute non acquieverint, ſed ipſum etiam in aliis morbis chronicis ex debilitate ſolidorum & imminuto nervorum vigore oriundis tentarint. Neque ſpes fefellit, ſed corticem nervoſæ debilitati mire ſuccurrere, inordinatos atque anomalos ſolidorum motus non ſopiendo, ſed roborando, radicitus tollere apparuit. Teſtantibus enim SYDENHAMO, HUXHAMO, FULLERO, WERLHOFIO, HALLERO, TISSOTO, WHYTTIO, non ſolum in malo hypochondriaco & hyſterico mirandas vires in ſanguine & in ſpiritibus confortandis invigorandisque habet, viresque in his ægrotis dejecta quaſi jam corporis œconomia reſtituit, (SYDENHAM, *Op. p.* 412. *Edit.*

Edit. Lipſ.) ſed & in aliis nervorum affectibus, ſine materia dictis, convulſivis, ſpaſticis, paralyticis, ſimulac remiſſiones notabiles vel intermiſſiones adfuerint, egregie curationem ſive adjuvat, ſive perficit, robur naturæ addendo, lentorem corrigendo, noxios motus prævertendo, ſuffocando; neque univerſalibus tantum nervorum morbis convenit, ſed egregie eos quoque juvat, qui quarundam partium particulari aut ſpaſtica ſtrictura aut paralytica atonia affecti ſunt; hinc ejus vis etiam ad icterum a CAMERARIO, ad tuſſim convulſivam a BRENDELIO, MORRISIO, ad iſchuriam a MAKENZIO, odontalgiam a BERGIO, dolores capitis a SWIETENIO, affectusque periodicos fere omnes a MEDICO fuit extenſa.

Non minus attente etiam ad ſtomachicam corticis vim attenderunt Medici, & ceterorum amarorum virtuti minime cedere viderunt; qua nimirum, ob particulas leniter adſtringentes aromaticas, egregie augeatur tonus præcipue ventriculi, inteſtinorum, ductuum & glandularum, unde liquores eo confluunt, præſertim vaſorum biliariorum; qua eadem virtute chylo impreſſa, & ad ſanguinem delata, adjuvante ſimul nervorum conſenſu, roboretur tonus etiam reliquorum vaſorum, nervorum, ductuum, viſcerum, muſculorum; ob partes temperate amaras ſaponaceas

humores tenaces viſcidi digerantur, corrupti corrigantur, bilis præſertim iners acuatur, atque hac ratione ſtaſes in glandulis & viſceribus ex vaſorum laxitate & humorum pituitoſa diatheſi oriundæ tollantur. Egregios hinc ex cortice viderunt effectus in quibuscunque morbis ex debilitate primarum viarum, inde inductis viſcerum obſtructionibus & humorum cacochymia oriundis, modo recte & præmiſſis præmittendis adhibitus fuerit. Sic BLEGNY, BOECLER, KLEIN, eum ad vomitus & diarrhœas habituales; CLEGHORN, WHYTT, RENEAUME ad dyſenteriam; RAMAZZINUS, LANZONUS, TORTI ad morbos verminoſos; CAMERARIUS, SCHULZE, WERLHOF ad obſtructiones hepatis; FOTHERGILL, FORDYCE, BOND ad morbos ſcrophuloſos; alii ad alios cacochymicos morbos, ad rachitidem ROSENSTEIN, ad hydropem KRAMER, KAU BOERHAAVE, TISSOT; ad tympanitidem KLEIN; ad arthritidem SYDENHAM, HELD, PRINGLE; ad malum ischiadicum VOGEL; ad calculum LINNEUS; ad Lepram HEBERDEN; ad cancrum RITTER, DIETRICHS, VAN SWIETEN, DE HAEN; ad Herpetem BANG; ad ſcabiem THEDEN; ad ulcera putrida WERLHOF, DE HAEN, TODE, ſummo cum fructu adhibuerunt.

Easdem roborantes & ſubadſtringentes vires dein etiam in compeſcendis nimiis profluviis tum ſan-

ſanguineis tum ſeroſis efficaces eſſe experti ſunt. Eſt quidem hæc adſtringens vis in cortice non adeo manifeſta; & licet eum guſtando adſtrictionis cujusdam ſenſus enaſcatur, etiam ſolutio martis infuſo vel decocto corticis mixta nigreſcat, hæc tamen phænomena in aliis adſtringentibus vegetabilibus evidentius longe et manifeſtius apparent; neque etiam cortex corpori ſano applicatus, & ad plures uncias deglutitus ullam ſive in ſecretionibus ſive in excretionibus, ſive aliam producit mutationem; neque alvum magis ſtringit, quam vinum rubellum, vel potio infuſi theæ, vel ſimilium, vel aromatum, vel condimentorum uſus ſolitus, vel cibus toſtus quicunque; in ægris vero pro corporis & materiæ morbidæ conditione, natura & directionis diverſitate, modo ſolvit alvum, modo leniter cohibet, reliquasque naturales ſecretiones aliquando retardat vel imminuit, aliquando pellit & auget. (VAN SWIETEN *Comment. T. II. p.* 560. WERLHOF *Op. T. I. p.* 79. 239.) Ita ut egregii illi effectus, quos in moderandis nimiis profluviis exſerere corticem obſervarunt, vi nervinæ roboranti potius quam auſteræ adſtringenti adſcribendi ſint, quæ nimirum vaſorum & fibrarum relaxatum tonum reſtituit, ſanguinem nimis tenuem, vappeſcentem, putridum corrigit & condenſat, ſpaſticas partium ſtricturas & exinde ortas congeſtiones tollit. Hinc in hæmoptyſi MORTON, WAGNER; in fluxu men-

ſtruo & lochiorum nimio WERLHOF, DE HAEN, WHYTT; in mictu cruento DETHARDING; in hæmorrhagiis vulnerum SHIPTON; in diabete WHYTT; in catarrhis prolongatis HUXHAM; in fluore albo TRALLES; in pollutionibus TISSOT; optimo cum ſucceſſu ipſum adhibuerunt.

Fuit tandem etiam antigangrænoſa virtus, quam in cortice ſummam detexerunt. Cujus detectionis honor vulgo JO. RUSHWORTH tribuitur, licet eandem vim jam A. 1709. ab Ill. SLOANE ex voto tentatam fuiſſe legamus. (*Tranſ. Phil. trad. p.* M. DE BREMOND *A.* 1732. *p.* 265.) Cum nimirum celebris ille chirurgus anglus in ægro quodam gangræna pedis ex cauſa interna laborante irritis ceteris remediis ob febrem intermittentem complicatam corticem peruvianum tandem adhibuerat, ſumma cum admiratione non ſolum ſtatim febrim ſiſti, ſed & gangrænæ progreſſum inde cohiberi vidit; dein & in aliis ægris repetitis experimentis ſimilia felicis ſucceſſus exempla vidit, eaque primo in *Epiſt. d.* 18. *Oct.* 1731. *ad Direct. Coll. Chir. Lond.* miſſa, dein peculiari libro (*Propoſal for the improvement of Surgery. Lond.* 1731.) vulgavit. Eo præeunte cll. AMYAND, DOUGLASS, SHIPTON plurimis experimentis corticis contra gangrænam & ſphacelum efficaciam comprobarunt, & quidem non ſolum contra illas,

quæ

quæ febres intermittentes excipiunt, ſed etiam in aliis, quæ ab aliis ſive externis ſive internis cauſis originem ducunt. Potiſſimum vero recentioribus cll. KIRKLAND, MONRO, GOOLDEN, SHARP, GOOCH, VATER, WERLHOF, HEISTER BILGUER, SCHMUCKER, aliorumque celeberrimorum virorum obſervationibus etiam hæc corticis virtus amplius confirmata, elucidata, rectusque applicandi modus ſtabilitus fuit.

Minime vero contra dictos morbos interno tantum uſu acquieverunt, ſed eundem quoque, ubi ægri uſum internum faſtidiebant, vel quorum ventriculi eum non ferebant, vel etiam ad augendam, & propius partibus affectis applicandam efficaciam, externe variis formis adhibuerunt; & primus quidem HELVETIUS corticem per clysmata adverſus febres intermittentes injicere feliciter tentavit; (*Methode de guerir toutes ſortes des fievres ſans rien prendre par la bouche, à Par.* 1694.) eodem cum eventu cl. ROSENSTEIN (*Apot. p.* 17.) in cataplaſmatis ſpiſſitudinem coctum intra linteum tenue abdomini impoſuit; & cl. PYE pulverem ipſum ſiccum intra lintea conſutum nudæ cuti applicatum ſimili cum ſucceſſu adhibuit. Nuper pediluvia ex corticis decocto parata a cl. ALEXANDER commendata, qua ratione partes corticis efficaces omnino copioſe per cutis poros inhalari, manifeſte docent, tum urinæ

poſt talis pediluvii applicationem miſſæ diuturnior quam ſolet a putredine conſervatio, tum potiſſimum febrium eorum ope non minus quam interno uſu promta ſanatio. (*Exp. Eſſays. p.* 32.) Recentiſſime cl. HEMMAN corticis decocti per venam inciſam infuſionem tentaſſe, talique injectione tertia vice repetita ægrum febre putrida peſſima laborantem ſanitati reſtituiſſe legimus. (*Med. Chir. Auffäze. p.* 122.) Contra gangrænoſas vero corruptiones, ulcera, fiſtulas, fomentorum, injectionum, cataplasmatum, unguentorum varia forma peritiſſimi MONRO, POTT, DE HAEN, SCMUCKER, RICHTER. TODE, eum ad locos affectos applicare docuerunt.

Quod vero modum attinet, quo cortex tantas vires & in primis ſpecificam iſtam virtutem antifebrilem exſerat, in eo explicando Medicorum ſagaciſſimi ignorantiam fatentur. Summo quidem ſtudio per analyſin chemicam partes ipſius conſtituentes inquiſiverunt, num forſan in peculiari iſtarum natura & mixtione rationem efficaciæ detegerent; aſt uti in ceterorum remediorum virtutibus definiendis chemica analyſis lucis non multum affert, neque aliunde rectius quam ex eventu & obſervationibus in ægris accurate inſtitutis medicamentorum qualitates perſpici poſſunt, ſic etiam vires corticis neque odoratu, neque guſtatu, neque chemica analyſi expiſcari licet; & uti turpi-

turpiter erraret, qui opii virtutem ſopientem, ipecacuanhæ emeticam, rhabarbari laxantem, mercurii antivenercam per chemicam analyſin, variam partium conſtituentium proportionem & mixtionem explicare poſſe ſibi arrogaret, ſic certe turpiter hallucinaretur, qui per chemicas artes virtutes corticis evolvere, easque ad hujus vel illius ſalis, vel ſulphuris, vel terræ vel alius cujuscunque materiæ dominatum revocare vellet; easdem enim vel ſimiles partes conſtituentes etiam aliæ virtute diverſiſſimæ plantæ oſtendunt.

Licet interim a priore corticis virtutem explicare non poſſimus, multum tamen intereſt, varias corticis conſtituentes partes probe noſſe, ut, in quibus potiſſima efficacia reſideat, ad quasnam in remedii præparatione & applicatione maxime reſpicere oporteat, & qua arte vires ejus optime conſervari, augeri, concentrari poſſint, compertum habeamus.

Oſtendit itaque Cortex, ſi *partes* ipſius *conſtituentes* examinamus, primo partes volatiles, quæ odoratus organum peculiari modo feriunt, & ſenſum odoris aliquantum mucidi excitant, ſponte in auras abeunt, vel leni calore admiſſo elevantur, atque aquæ cum qua deſtillatur ſimilem odorem impertiunt.

Reliquas fixiores partes per deſtillationem tum ſiccam tum humidam inquiſiverunt chemici; per

ſiccam quidem, corticem per ſe igni in vaſis deſtillatoriis exponendo, qua ratione ejus libra una, tres circiter uncias liquidi aquoſi aciduli, duas vero drachmas olei empyreumatici fundit; relictus in vaſe carbo aperto igne calcinatus & aqua elixivatus, drachmam fere unam ſalis fixi alcalini ſuppeditat. (NEUMANN *Chem. med. Vol. II. P. II. p.* 224. 225. GEOFFROY *Mat. med. Tom. II. p.* 271. *Verſ. germ.*) Reſidui cineres albi magnum particularum ferrearum numerum oſtendunt; (MODEL *erſtes Schreiben v. d. Lamottiſchen Nerven-Tinctur,* p. 39. ZEIHER *in Lucas Verſuch v. d. Waſseren, I. Th.* GMELIN *Diſſ. an adſtring. & roborant: ferreo principio debeant efficaciam. Tubing.* 1773. §. 25. *ſqq.*) quas quidem ferreas moleculas etiam in crudo contuſo cortice detexit cl. BRUGMANS. (*Magnetiſmus, L. B.* 1778.)

Liquor iſte acidus latentis ſalis acidi in cortice præſentiam quidem indicat, & tincturam heliotropii rubro tingit colore; (GEOFFROY *l. c.*) dubium tamen, annon ad ſecundarias conſtituentes partes tantum referendum ſit, ex deſtructa reſinoſa parte emergens; omnis quippe reſina forti deſtillationi ſubmiſſa acidum ſudat, licet ipſa reſina nulla acidi ſed reſinæ phænomena oſtendat; ſicuti etiam ſal alcali volatile in ultima liquoris tranſeuntis parte ſolutum (GEOFFROY. *l. c.*) oleumve iſtud empyreumaticum, & ſal alcalinum fixum

fixum, non educta ſed producta potius ſunt, vi ignis ſecundaria remotiora principia ſeparantis alioque ordine iterum componentis enata. Hinc ſi deſtillatio quam leniſſimo igne inſtituitur, aqua ex cortice deſtillata nec acidi nec alcalini ſalis indicia prodit. (ROEGNER *Diſſ. de Princ. nat. C. P. Præſ. cl.* NONNE *Erford.* 1767. §. 3.)

Securius itaque via humida adhibitis mitioribus menſtruis veræ & primariæ corticem conſtituentes partes extrahuntur. Si nimirum pulveri corticis ſuperaffunditur ſpiritus vini rectificatiſſimus, ſolius temperati aeris beneficio liquor hic colore ſaturate rubro tingitur, & amaro adſtringente ſapore imprægnatur; cum aqua dein mixtus lacteſcit, & ſedimentum flavum ad fundum deponit; evaporato humido relinquit maſſam rubro fuſcam, dentibus picis inſtar adhærentem amaram ſtipticam; ex quo corticem reſinoſas partes ſpiritu vini facile ſolubiles continere manifeſte apparet.

Corticis pulveri a ſpirituoſa extractione reſiduo ſi aqua iteratis vicibus infundatur usque dum nova adfuſa nihil amplius extrahere videatur, hæc vero tinctura dilute flava pellucida amara leni igne evaporetur, relinquit corpus ſubrubrum amarum, gummoſam nimirum corticis partem.

Variam autem inter haſce reſinoſas & gummoſas partes indicarunt proportionem. Alii plus

reſinæ quam gummi corticem continere, (GEOFFROY. *l. c.*) alii contrarium ſtatuunt. (SPIELMANN *Mat. med. p.* 253. MAUTT *Diſſ. de Cort. Per. L. B.* 1760.) At talis arctus eſt nexus iſtarum partium, ut, ſi e. gr. corticem aqua primum extraxeris, aqua cum partibus gummoſis ſimul quoque quasdam reſinoſas particulas cum iſtis intime mixtas ſolvat. Digeſtionis porro calor major vel minor ex eadem cauſa varias etiam dabit proportiones; uti & ipſius corticis varia bonitas. (ROEGNER *l. c.*)

Pulvis ab extractione reſiduus exſiccatus, calore eſt pallidior, non amplius adſtringens, leviter tantum amarus; ſi calcinatur cineresque elixivantur, lixivium evaporatum ſalis alcalini exiguam portionem, terramque ferreis particulis impregnatam oſtendit. (MAUTT *l. c.* GMELIN *l. c.*)

Apparent inſuper in cortice integro microſcopio ſubjecto corpora nitida, oblonga, acuminata, ſemipellucida; quæ eadem etiam in pulvere, ab extractione cum aqua vel ſpiritu vini vel liquore alcalino aut acido facta, vel poſt decoctionem reſiduo, conſpiciuntur; & neque oleis deſtillatis nec expreſſis cedunt, ideo neque ad gummata vel reſinas, neque ad ſalia referri poſſunt; multo autem inflammabili imbuta eſſe videntur, quia oleum vitrioli eadem deſtruit & in pulverem carbonibus ſimilem vertit, uti idem in aliis corporibus inflamma-

flammabilibus, quibus illud concentratum acidum additur, contingit, (ROEGNER *l. c.* §. 33.)

In anatica vero quantitate gummoſo-reſinoſæ partes ad partes inertiores terreas in dato corticis pondere inveniuntur. (MAUTT. *l. c.*)

Reſinæ potior pars in lamina externa corticis reſidet; drachmæ enim illius duæ ſpiritu vini digeſtæ ſuppeditabant grana duo reſinæ; laminæ internæ granum unum cum dimidio. (LEE. *Phil. Trans.* Vol. *LVI.* p. 95.) Primus etiam pulvis, qui ſub contuſione ſurgit, minus reſinoſus, quam poſterior; hinc quippe ad uſum inertior ſeparandus. (DE LA GARAYE *Chem. hydraul. Par.* 1775. BAUME *Elem. de Pharmacie. Paris* 1762. SENAC *v. d. Wechſelfiebern.* p. 302.) In eadem reſina cauſa latet coloris corticis ſaturatioris & ſaporis ſubadſtringentis, cum pulvis ab extractione ſpirituoſa reſiduus colore pallidus ſit, neque adſtringat. (ROEGNER. *l. c.* §. 8.) Hinc etiam, quo magis obſcurus & ferrugineus cortex, eo efficacior.

Continet hæc reſina acidum quoddam, in quo cauſa adſtrictionis maxima ex parte poſita eſſe videtur. Tincturæ enim corticis ſpirituoſæ additum oleum tartari per deliquium colorem ejus ſaturatiorem reddit ad nigredinem usque vergentem, & ſtatim ſedimentum ex nigro rubrum produ-

producit, minuitque ſimul ſaporem adſtringentem æque ac amaritiem; cum e contra tincturæ adfuſus ſpiritus vitrioli eandem nec moveat nec mutet. Sedimentum vero illud nigro-rubrum edulcoratum, exſiccatum, ſpiritu vini non amplius ſolvitur. (ROEGNER §. 21.)

Pars gummea corticis amara eſt, pauca latentis acidi veſtigia oſtendit, neque adſtringit; aquam cortici affuſam nec ſolutum turbat vitriolum, nec alumen; gallæ turcicæ autem ſolutæ dant præcipitatum quoddam flaveſcens; additum oleum tartari per deliquium eandem vix mutat, excepto aliquo ſedimento, quod inde emergit, albo. (ROEGNER *l. c.* §. 13.)

Patet itaque ex allatis chemicorum circa corticis partes conſtitutivas experimentis, quod ex volatilibus, gummi reſinoſis, terreis, parcis ſalinis & ferreis ſit conflatus. Quomodo vero ex hiſce principiis, comparatis cum effectubus conſtantibus, quos cortex in corpore tum ſano tum ægro exſerit, principiis & viribus aliorum remediorum, vis ipſius ſpecifica febrifuga explicari poſſit, variæ ſemper Medicorum fuerunt ſententiæ.

Fuerunt, qui illam ex principio corticis adſtringente explicandam eſſe putarunt, quorum etiam

etiam plerique ejus uſum reformidabant atque ut infidum & minus ſecurum damnabant; quaſi inde ſanguinis motus febriles ſalutares vi & præmature ſiſtantur, deſpumatio ejus & ſecretiones criticæ neceſſariæ cohibeantur, detenta intus materia noxia in vaſis figatur; atque inde non modo recidivas poſt corticis uſum forſan contingentes, ſed & quæcunque alia mala, hydropem, icterum, phtiſin, ſimiliaque ex febribus cortice curatis relicta, derivarunt, corticisque adſtringenti virtuti adſcripſerunt. Rectiſſime vero reſponſum eſt, quod, ſi adſtringendo cortex febres tolleret, neceſſario alia fortiora adſtringentia vel majore vel eadem ſaltem febrifuga vi prædita eſſe deberent; at fruſtra fortiſſima adſtringentia hunc in ſcopum tentavit SYDENHAM. (*Oper. p.* 377); & quæ ſubinde hanc vim exercuerunt, hæc tamen neque conſtans, neque promta, neque ſecura adeo fuit, uti in cortice peruviano, demonſtrantibus experimentis a cl. LEMERY, BOULDUC, GEOFFROY inſtitutis. (*Hiſt. de l'Academie d. Sc. A.* 1714. *p.* 37.) Neque adſtringendi virtus, quæ in cortice accuſatur, tanta eſt, ut inde aliquid noxæ metui debeat; non enim principio quodam agit ſtyptico, ſed blando, naturæ amico; dumque leniter adſtringit, ſimul ipſis fibris robur, motum & elaſticitatem fœnerat, unde ad materiam inhærentem extrudendam promtiores evadunt; (HOFFMANN *de febr. interm. hypotheſi* §. 21.) ſecretionesque naturales

nequa-

nequaquam impedit ſed potius promovet, (PIT-CARN. *Elem. phyſ. med. p.* 89. SPIESS *progr. de C. P. virtute & modo operandi. Helmſt.* 1721.) ita ut vis non minor aperiens, diſſolvens ac diſſipans lentorem febrilem, quam corroborans ipſi inſit. (BERGER *de inflammatione, p.* 32.) Certe Ill. VAN SWIETEN cum quondam ſimplicium medicamentorum hiſtoriæ colligendæ intentus, plurium vires in proprio corpore tentaret, integram corticis unciam bihorii ſpatio aſſumſit, neque aliquid inde detrimenti percipere potuit. (*Comment. T. II. p.* 560.) quod idem ſæpiſſime in ſe ipſo expertus eſt WERLHOF, (*de Febr. Op. T. I. p.* 239.) Neque etiam largiſſima copia diu continuatus ullum corpori detrimentum affert. Uncias quatuordecim intra tres hebdomadas ſine ulla noxa præſcripſit LIND (*Diſeaſes in hot clim. p.* 67.) duodecim libras ſucceſſive deglutivit LOESEKE (*Mat. med. p.* 421.) ultra quinquaginta libras in variis præparationibus intra octo menſes ægro cuidam præſcripſit ſine ulla noxa relicta DE HAEN (*Rat. med. T. VII. p.* 115.) Neque vel infantibus, vel ſenibus, vel gravidis, vel puerperis, vel huic illive conſtitutioni & temperiei corporis ullam per ſe affert noxam. (TRILLER *Diſſ. de uſu C. P. ſenibus, grav. & puerp. ſalutari. Op. T. I. p.* 173.) Quid quod quandoque in febribus manifeſtas criticas evacuationes producat & promoveat; neque eos minus juvet, qui ab ejus uſu tanquam a cathartico aſſumto

ſumto

ſumto frequenter alvum deponunt, quam illos, quibus alvum cohibet (SYDENHAM *l. c.*) Patet itaque corticem immerito adſtringentibus noxiis adnumerari, vimque ipſius febrifugam non a vi adſtringente pendere.

Alii fermentum febrile a poris corticis abſorberi, illaqueari & infringi, vel cum WILLISIO ſanguinis naturalem fermentationem a febre hactenus inhibitam iterum excitari, credebant; neſcii fermentationem ſanguinis nullam, ideoque ſimile illud, quod a cereviſiæ per injecta amara correctione deſumſerunt, hic prorſus diſſimile eſſe.

Alii cum ANTYMO CONYGIO virtutem febrifugam in tenuitate partium corticis, qua ſeſe craſſis humoribus interponat, poſuerent; quaſi omnia remedia ſimili vel majore partium tenuitate gaudentia antifebrilia eſſent.

Alii, cum GAUDENTIO BRUNACLO (*l. c.*) caliditate & ſiccitate ſua corticem agere ſtatuerunt; cum tamen non omnia calida, qua calida ſunt, febres tollant.

Alii corticem humores attenuare, & reſolvendo ſtaſes in vaſculis minimis febres tollere crediderunt, (STURM. *l. c.* RAPH. MAURIN. *Ergo Cort. Per. acceſſiones diſſipat attenuando. Par.* 1683. ANDR. PARENTI *Exercit. de Chinch. virtute an* *cod-*

coagulativa an reſolutiva. Mutinæ 1751.) Si vero aliorum remediorum vi reſolvente corticem longe ſuperantium, ſaponum, ſalium, mercurii, antimonii, extractorum plantarum amararum, uſum utut largum & diu continuatum, in febribus ſiſtendis ſæpiſſime inefficacem eſſe perpendamus; ſi obſervemus, ſtaſes viſcerum & glandularum licet perfectiſſime ſolutæ ſint, febres tamen ſtatis periodis recurrere, usque dum cortex demum adhibeatur; febresque cortice ſaltem pro tempore tolli poſſe, remanentibus licet ut antea viſcerum obſtructionibus; aperte patet, corticem in febribus curandis non agere quatenus ſtaſes reſolvat. Neque etiam experimenta cum cortice humoribus corporis humani mixto inſtituta vim reſoluentem oſtenderunt. Superinjecit enim Cl. TORTI (*Oper. p.* 29.) corticem diverſis liquoribus, ſucco limonum, aceto, oleo, bili, urinæ, ſalivæ, at parum vel nihil omnino iſtos humores inde alterari vidit, ſi amaritiem excipias, qua imprægnabantur perinde ac ab aliis amaris minime febrifugis; tardius quidem concrevit ſanguis, cui cortex addebatur, quam alia portio pura; idem vero & ab alio quovis pulvere vegetabili contingebat, ob agitationem nimirum ſanguinis neceſſariam ſub miſcela, & intermixtione particularum pulveris inter fibras ſanguinis. Obſervavit quidem cl. FREIND (*Emmenol. Op. T. III. p.* 220. *L. B. ed.*) cum in venam canis jugularem corticis decoctionem

nem fortem injecerat, canem poſt quadrantem horæ validis ſpaſmis & repetito experimento lethalibus convulſionibus corripi, & poſt mortem ſecta vena crurali ſanguinem rutilum & liqueſcentem exire; idem vero non cortex ſolus, ſed etiam aliud liquidem injectum, vel ipſe aer præſtat; & quod cl. BRUNNER (*A. N. C. Vol. I. obſ* 128.) & SCHWENCKE (*Hæmatol. p.* 188) decoctum corticis ſanguini vena emiſſo admiſtum rubicundiorem & fluidiorem cruorem reddere viderint, id diluenti potius decocti quam vere reſolventi ejus vi adſcribendum; cum & alia experimenta docuerint, ſi ſanguini calenti guttulæ aliquot decocti febrifugi tepidi inſtillentur, momento citius globulos rubros antea diſperſos in unam maſſam compingi, unde corticis incraſſantem potius quam attenuantem vim demonſtrarunt LEEUWENHOECK (*Phil. Tranſ. n.* 312. *p.* 24. 46. HORBIUS *Diſſert. de Cort. Chin. virt. febrif Altorf.* 1693. HALLER *Memoires ſur le mouvement du Sang.*) licet etiam hæc nullam demonſtrandi vim habeant; idem enim erit phænomenon, ſive corticis decoctum, ſive lac, ſive aquam tepidam adhibueris; multorum inſuper cortice utentium ſanguis facile ſecedebat, nec inflammatorius erat. (QUARIN. (*l. c. p.* 26.)

Alii uti ROCHUS CASATVS, MINOT (*Exp. ſur la Quinquina, & reflexions ſur l'action de ce*

Remede, Paris 1684.) narcoticam vim remedio tribuerunt, quam adeo timuit practicus quidam, ut nunquam niſi cum pulvere foliorum theæ corticem præſcripſerit. (HORB. *diſſ. cit.*) Qui vero opiatorum ad præcavendas febrium reverſiones minus ſufficientem ſaltem non tutam vim; corticis etiam maximis & repetitis breviſſimis intervallis doſibus minime ſomniferam qualitatem; virium ipſius per acida addita augmentum potius quam diminutionem contra narcoticorum morem conſiderat, falſitatem opinionis facile videbit.

Vim acido adverſam in cortice quæſivit FR. GEOFFROY ſen. (*Mem. de l'Academie d. Sc. d. Par. A.* 1713.) at nullam miſcelâ cum acidis averſionem monſtrat; & uti plurima vegetabilia amara majorem acidi quam alcalini ſalis portionem chemica analyſi oſtendit. (FR. GEOFFROY, *jun. Mat. med. l. c. p.* 291.)

Nonnulli bilem in febribus intermittentibus potiſſimum accuſantes, in hanc præcipue agere, eamque corrigendo febres tollere autumarunt. (RAIM. RESTAURAND *Hippocrate de l'uſage du Chinchina. Lyon* 1652. B. ZENDRINI *Trattato delle Chinchina. Venet.* 1715. MEAD *Mon. & prac. med. p.* 22. At quoties febres pertinaciter reſiſtunt bilis ſecretione licet perfectiſſime reſtituta? neque ea quæ bilis ſecretioni & correctioni maxime favent remedia, eapropter ſpecifica ſunt antifebrilia. Concedimus

cedimus interim, corticem febrem virtute febrifuga tollentem ſimul ſua reſtaurante facultate ſyſtema bilioſum egregie emendare, hujusque vitia ſolventiſſimis remediis non tollenda illius uſu ſæpe egregie devinci. (DE HAEN *Rat. med. T. XI. p.* 34.)

An per criticas excretiones cortex febres tollat? Verum quidem eſt, uti jam allegavimus, quod poſt ejus uſum in febribus aliquando ſecutæ fuerint inſignes evacuationes per alvum, ſudorem graveolentem, (ALBERTINUS *Comment. Bonon. T. I. p.* 163. 405.) excretiones cutaneas, circa os & nares, urinas copioſiores coctas, (BRUNNER, *A N. C. Vol. I. obſ.* 128. TORTI, *l. c.*) vomitus, ſalutares ſanguinis fluxus, (WERLHOF *l. c. p.* 233.) ſalivationem, (HELWIG, *hiſt. morb. Vratislav. p.* 224.) quibus etiam obſervationibus egregie refelluntur, qui ſiſti ſolum hoc remedio materiam febrilem volunt. At cum febres ipſæ ſæpe per corticem ſiſtantur, apparentibus demum poſt plures dies iſtis excretionibus, ita ut non proximi ſed remoti tantum & ſecundarii effectus corticis virtutis roborantis vigoremque ſecretionum & excretionum organis reſtituentis habendæ ſint --- cum ſæpius nulla iſtarum eveniat febre tamen aeque tuto atque conſtanter ſublata --- alia remedia per evacuationes agentia, emetica, purgantia, diuretica, diaphoretica, effectu illo optato adeo deſtituan-

ſtituantur, ut potius ſæpe febres pertinaciores reddant; patet vim corticis ſpecificam non ab evacuationibus quas producit pendere.

Amaritiem corticis, roborantem ſtomachum cæteraque digeſtioni inſervientia organa, febres tollere, aliorum fuit ſententia (I. B. GASTALDI *Quaſt. med. an Febr. interm. Chinchina. Paris* 1717.) quo etiam amarore tenaciter inquinet tam ſanguinem quam ſolidorum omnium partes, arctiſſimeque ſeſe cum ipſis combinet, horum tonum augeat, circulum hinc ſanguinis & ſecretiones omnes promoveat; (LANCISIUS *de nox. palud. effluv. p.* 260. PITCARN *Elem. phys. med. p.* 89. HOFFMANN *Diſs. de recto C. Ch. uſu in Febr. interm. Oper. T. VI. p.* 32. A LINNE *Diſs. de varia febr. interm. curat. p.* 34.) Explicent vero, cur non omnia æque vel magis amara corticis vim antifebrilem præſtent; & nonne tam parca ſæpe doſis tam brevi temporis ſpatio febres tollit, quæ non ſufficit totam humorum maſſam omnemque ſolidorum compagem inquinandi? Dicas, ventriculi & inteſtinorum fibras vel præcipue relaxatas eſſe vel nimia & morboſa irritabilitate peccare, quas roboret ſtomachica vi cortex; (MEDICUS *Geſchichte period. Krankheiten. Th. II.* §. 95.) quoties vero poſt rectiſſimum evacuantium, & adhibitorum deinde amarorum, centaurii, gentianæ, chamomillæ, quaſſiæ uſum, febris attamen pertinaciter reſiſtit, licet

licet ſordes irritantes expurgatas tonumque juſtum reſtitutum eſſe, rediens appetitus integraque & facilis digeſtio doceant; & cur amara, cur martialia, in minuenda nimia irritabilitate, reſtituendoque tono adeo celebrata, maximis doſibus exhibita, diutiusque continuata, idem non præſtant, quod corticis parca quantitas breviſſimo temporis ſpatio?

Alii vim corticis antiſepticam febres tollere ideo crediderunt, quod ex paludoſorum locorum putridis effluviis, tempeſtate humida tranſpirationem ſupprimente, illæ potiſſimum epidemice graſſentur; quod plura ſymptomata putridum in corpore retentum ſignificent; efficaciſſimaque poſt corticem remedia antifebrilia, myrrha, chamomilla, abſynthium, alumen, nux moſchata, aromata, acida mineralia, nobiliſſima ſimul ſint antiſeptica. (PRINGLE *Beobacht. Altenb.* 1772. *p.* 435. *ſqq.*) Cur vero non brevi adeo tempore in febribus putridis juvat cortex, quo febres intermittentes tollit; & qua ratione ſporadicas quoque ſanat, putredinis indiciis ſæpiſſime penitus deſtitutas; & annon allegatorum remediorum vis antifebrilis, non adeo certa quidem atque conſtans uti corticis, alio facilius modo explicari poterit, quam per vim antiputredinoſam?

Sunt tandem qui, maxima quidem cum probabilitate, ad veriorem febrium intermittentium cauſſam reſpicientes, corticem in ſyſtema nervorum maxime

agendo febres tollere, demonſtrant; inter quos primus id ſubolfecerat MORTON, licet falſæ hypotheſi de fermento in ſpiritubus animalibus deliteſcente, cujus antidotum ſit cortex, ſententiam ſuam ſuperſtruxerit; (*Oper. T. II. p.* 94) Licet nimirum negari non poſſit, febriles paroxyſmos a materia in ſanguine contenta produci, quæ pluribus vicibus in ſanguinem transeat, & ex eo iterum expellatur, quæque veroſimiliter primo in primis viis paretur; hanc tamen, recte ſtatuebant, nondum ſufficere, ad febrem periodicam formandam; ſed peculiarem aliam adhuc conditionem ſimul adeſſe debere, qua materies iſta determinetur, aut ita modificetur, ut proprie febrim intermittentem, nec alium morbum producat; hanc vero conditionem in peculiari ſyſtematis nervoſi conditione latere, facile ex animi affectuum in producendis febribus intermittentibus imperio, ex ſpaſtica ſymptomatum quæ eas comitantur natura, ex ſumma ipſarum cum aliis nervorum affectibus affinitate, qua facile invicem complicantur, vel invicem alternant; ex noxa intempeſtivorum purgantium vim nervorum debilitantium; ex remediorum tum externorum tum internorum contra febres feliciter adhibitorum in nervos potiſſimum agente vi; ex febrium repentina atque inopinata ſive invaſione ſive receſſione talibus cauſis producta, quæ nervos tantum afficiunt, ſimilibusque rationibus conjiciebant. (V. SWIETEN *l. c. T. II. p.* 535.) Hanc

vero

vero peculiarem ſyſtematis nervoſi conditionem in nimia ipſius ſenſibilitate conſiſtere docent; qua cauſa prædiſponente præſente facile a materia quadam febrile nervis vel horum origini communi talis character imprimatur, per quem ſtato tempore paroxyſmus renovetur; qui quidem per aliquod temporis ſpatium ſic ſopitus manere poſſit, ut nullis ſeſe ſignis manifeſtet; denuo vero a cauſa quadam occaſionali excitari, & poſtea, quamvis hæc non renovetur, ſua vi novos paroxyſmos facere poſſit; ita ut non ſemper indigeat quodam fomite, intra paroxyſmorum intervallum collecto, per quem actuoſus fiat: atque hac ratione egregie explicarunt, quomodo ſubitus terror febrim intermittentem excitare, eandemque iterum auferre poſſit; quomodo febres inopinato nulla vel in ſolidis vel fluidis mutatione manifeſta prægreſſa invadere & ſtatis periodis recurrere valeant; qua ratione fiat, ut febres iſtæ quandoque non totum corpus, ſed tantum quandam ejus partem occupent; quomodo frequentiſſime ex nervorum primarum viarum vitiata ſenſibilitate ibique collectis ſordibus originem petant; & qua ratione tandem cortex peruvianus, in ſyſtemate nervoſo roborando, & inordinatis ſpirituum motibus compeſcendis adeo efficax, febres tollat, licet nullas ſenſiles mutationes in corpore produxerit, agendo nimirum in illum characterem, ipſumque non ſolum ſopiendo, ſed & ſimul morboſam illam ſenſibilitatem tollendo, qua

fit,

fit, ut a diverſis cauſis occaſionalibus iterum actuoſus fieri poſſit. (WHYTT *ſämtliche pract. Schriften. p. 405.* CULLEN *First Lines of the practice of Physic. Vol. I. p.* 156.)

Cur vero hæc vis adeo certa & conſtans; cur cetera remedia egregie ſyſtema nervoſum roborantia eadem vi antifebrili vel prorſus deſtituta, ſaltem longe ipſi inferiora ſunt? Forſan, quia præter vim nervinam, quæ forſitan ſola febrili caracteri exſtinguendo non ſufficeret, aliæ plures dictarum virium in ipſo contentæ & inter ſe combinatæ ſunt, quæ priori junctæ hujus efficaciam exaltant & talem ipſi determinationem largiuntur, quæ ad cauſam proximam ex diſponente illa & diverſis remotioribus compoſitam tollendam requiritur. (FRIBURG *Diſſ. de C. P. Hafniæ*, 1775.) Quod ſi igitur remedium vel compoſitionem quandam detegere liceret, cui non tantum ſimiles partes volatiles aromaticæ nervis gratæ ineſſent, ſed eædem inſuper ſimili modo tum reſinoſis leniter ſtimulantibus, tonum vaſorum glandularum & viſcerum roborantibus, tum gummoſis amaris digerentibus abſtergentibus balſamicis mixtæ, uti in cortice peruviano; non dubitamus, quin hæc medicina corticem viribus æquaret; quod vero hucusque nullum tale remedium fuerit detectum, licet variorum nervinorum, amarorum reſolventium mixtione id præſtare multi conati ſint, cauſa in

eo

eo latet, tum quod chemica analyſis partes conſtituentes quidem corticis detegat, vera vero proportio, qua hæ invicem mixtæ ſunt, modusque quo natura diverſas ſæpe & inter ſe inimicas particulas remediorum adeo arcte componere & invicem temperare novit, ut determinatus quidam effectus inde eveniat, nos penitus lateat; tum quod præſertim volatiles illæ ſpecificæ & caracteriſticæ partes, quæ ſpiritum quaſi rectorem corticis continent, & ab aliis volatilibus ſolo odoratu facile diſtinguendæ, nullo alio remedio compenſari poſſint.

Non minorem difficultatem in explicanda corticis virtute antiſeptica invenerunt Medici. Hæc quidem manifeſte, non ſolum obſervationibus in ægro corpore inſtitutis ſed & extra corpus cum partibus animalium repetitis, demonſtrata & extra omnem dubitationis aleam poſita eſt. Partibus enim animalibus, ſi additur ſive pulvis corticis ſive infuſum ſive decoctum ejus, diutius hæ a putredine præſervantur, quam aliæ, quæ ſine corticis miſcela eodem loco & aëre detinentur; ipſæque partes jamjam putridæ admixto cortice fœtorem, quem ſpirabant, amittunt, ut plane nil putridi ſenſibus oſtendant, uti experimenta Cll. PRINGLE (*loc. cit. app.*) MACBRIDE (*Exp. Eſſays. p.* 45. *&c.*) PERCIVAL (*Eſſays med. and experiment. Eſſay* 3. *p.* 61. *ſq. Ed. g.*) COLLIN. (*Ann. med. V.*)

BUCHHOLZ (*Chemiſche Verſuch über einige einheim. antiſept. Subſtanzen. Weimar*, 1776.) & MAUTT (*Diſſ. cit.*), qui carnes quoque hominum variis morbis defunctorum & ſanguinem humanum eo fine exploravit, oſtenderunt.

An hæc vis ab acido illo, quod reſinæ corticis inhæret? aſt tanta ad putredinem prohibendam acidi vel etiam vitriolici copia opus eſt, quanta quidem in ea corticis portione, quæ par eſt eandem partem a putredine ſervare, non invenitur; augent interim acida cum cortice combinata ejus vim antiſepticam; jam natam enim in carne putrida corruptionem miſcela corticis cum aceto correxit, quam cortex ſolus emendare non potuit; etiam in febribus putridis elixir vitrioli cortici additum ejus vim egregie acuere obſervatum eſt. (PERCIVAL *l. c. eſſ.* 27. 28.)

Fuerunt, qui putredinem ab aëre fixo corpora relinquente derivantes, crediderunt, hunc aërem e cortice cum liquoribus inteſtinalibus fermentante extricatum ipſis reſtitui. (MACBRIDE *l. c.*) hinc etiam cl. PEYRILHE ad corrigendam ſaniem cancroſam pulverem corticis humectatione ad fermentationem prius diſponendum eſſe juſſit (*Diſſ. de cancro. Paris*, 1774.) Difficulter vero aër fixus ex cortice extrahi poteſt, & tinctura corticis cum aqua calcis facta parum ſaturata, neque reſiduum cum oleo vitrioli efferveſcit; (PERCIVAL *l. c. eſſ.*

eſſ. 10.) neque in experimentis facile fermentare viſus eſt, certaque ad eam producendam aquæ & carnis jam putridæ proportio requiritur: (COLLIN *l. c. p.* 64. *app.*) ut taceamus, dubium adhuc valde eſſe, annon aëris fixi e corporibus egreſſus putredinis effectus potius ſit, quam cauſa; (SPIELMANN *Hiſt. aeris factitii. Argent.* 1776. ALEXANDER *l. c. p.* 166.) Et ſi aër fixus corticis præcaveret putredinem, allium profecto & cepæ, vini & cereviſiæ muſtum, aliaque vel alimenta vel medicamenta, quæ fermentatione eundem aërem fixum ſuppeditant, certe potentiora ipſo cortice adverſus putredinem remedia forent; (DE HAEN *Rat. med.* T. *XIII. C. II.* §. 4.) adde, nec opus eſſe ad vim antiſepticam ut vegetabilia fermentent. (COLLIN l. c. p. 66. 113.)

Alii ex ſola adſtrictione vim corticis antiſepticam derivarunt, cum omnia adſtringentia eandem majore minoreve gradu poſſideant, plurimaque antiſeptica plus minus adſtringant. (PRINGLE l. c. BUCHHOLZ *l. c.*) Superat tamen cortex hac virtute plurima fortius adſtringentia vegetabilia -- Forſan quia facilius recludantur & ſolvantur ejus particulæ a ſaliva & bile reliquisque humoribus? (PRINGLE *l. c. p.* 556.) Saltem in corpore vivo natam putredinem efficacius vel præcavere vel ſiſtere videtur, quam aliæ ſubſtantiæ, quæ in experimentis extra corpus ſimili vi gaudere videntur; adjuvante nimirum vi nervina roborante; uti enim vires pro-

priæ

priæ antiſepticæ ipſam putridam materiam corrigunt, ſic illæ, vires naturæ roborando, correctam aſſimilant, vel variis corporis colatoriis excernunt. Ita ut igitur etiam hæc vis antiſeptica præcellens ex pluribus compoſita eſſe videatur, adſtringente quæ ſolida relaxata firmat, fluida diſſoluta condenſat; balſamica ex partibus reſinoſis, acido quippe oleo & calcareo principio conflatis, pendente, putridum corrigente; & nervina roborante, ſecretiones & excretiones aucto nervorum & vaſorum vigore, reſtaurante.

Vires vero corticis ceteras quod attinet, contra hæmorrhagias, varios nervorum morbos, ſtomachicas, viſcerales, quippe minus ſpecificas, ſed potius determinatis illorum affectuum cauſis accommodatas; eas ex manifeſtis illis qualitatibus hujus remedii quisque facile explicabit, & comprehendet, quomodo nervinis roborantibus viribus morbis ex nervorum morboſa debilitate pendentibus mederi; qua ratione vi ſua ſpecifica antifebrili juncta cum leni adſtringente & nervina hæmorrhagias ab orgaſmis ſanguinis, ſpaſticis congeſtionibus, & particulari vaſorum laxitate oriundas, typicas præſertim, ſiſtere --- particulis balſamicis cacochymiam humorum putridæ ſimilem corrigere; reſolventibus gummoſis cum adſtringentibus & roborantibus junctis atoniam viſcerum chylopoieticorum emendare; ſtaſes in viſceribus

&

& glandulis reſolvendo viſcida & roborando ſolida reſerare, & ex illis oriundis diverſiſſimis morbis mederi poſſit. ---

Cum vero ex dictis pateat, corticis virtutem præcellentem non ab una tantum ejus qualitate pendere, quatenus nimirum vel volatilis, vel adſtringens, vel amarus vel balſamicus ſit, ſed ex pluribus viribus compoſitam eſſe, quarum una alteram intendit, & ad ſcopum determinatum dirigit; eluceſcit hinc, cur corticis in ſubſtantia uſus omnibus ipſius præparationibus præferendus ſit, niſi forſan vires corporis digeſtivae ad extrahendas ejus vires deſint. In ſubſtantia quippe omnes partes conſtituentes naturæ mirabili artificio invicem junctae ſunt; neque ullum menſtruum omnes illas ſimul & eadem invicem ſervata proportione extrahere poteſt; ſed quacunque fere præparatione ſive hæ ſive illæ partes activæ aut diſſipantur aut decomponuntur, neceſſario inde inſequente virium mutatione vel imminutione. Ubi itaque corticis uſum morbi poſtulent, eique digerendo & extrahendo vires ventriculi ſufficiant, neque peculiares indicationes adſint, quæ ſingularem quandam corticis partem activam a reliquis ſeparatam adhibendam jubeant; aut inſuperabiles ægri vel averſio vel idioſyncraſia uſum in ſubſtantia irritum reddant; optime illum ſubtiliſſime pulveriſatum, vel abſque vehiculo, vel delicatioribus nebula obvolutum,

lutum, vel aqua aut gelatina in pultem redactum, ſive purum, ſive ad digeſtionem facilitandam aromate quodam, vel etiam aliis remediis pro indicationum varietate ſeligendis, junctum propinamus. Poteſt etiam cum aqua deſtillata & ſyrupo quodam grato in mixturæ, vel cum ſyrupo aliquo dulci in electuarii formam, redigi, & cochleatim ægro exhiberi.

Electuaria tamen minus commoda ſunt, cum pleriſque ægris ob miſcelam dulcedinis & amaritiei diſpliceant, diutiusque cortex indigeſtus in primis viis remaneat. (PERCIVAL *l. c. p.* 108) Hinc etiam 6 drachmæ corticis in Julepo tenuiori vel hauſtu propinatæ, efficaciores, quam uncia una in electuario. (LIND *l. c. p.* 291) Si vero hæc forma boli aut electuarii placeat, loco ſyrupi melius mucilago quidam e. g. gummi tragacantha adhibetur, ſaporem corticis optime recondens & facilius ſolubilis. (*Neu verbeſſertes Diſpenſatorium. p.* 481. SCHENCKBECHER *Bericht v. d. heilſ. Würkungen der Chinchina, p.* 135) Optime quoque ad celandum corticis ſaporem convenit radix Liquiritiæ in pulvere vel infuſo vel extracto variis corticis præparationibus addita. (LEWIS *mat. med. p.* 448.)

Doſin vero corticis, tum ætas, tum ventriculi vires, tum præſertim morbi præſentis natura, variæque, quibus ejus uſus innititur, indicationes deter-

terminabunt. Scrupulum unum vel drachmam dimidiam pro media doſi aſſumunt, eamque quantum requiritur pro morbi ratione repetunt; neque tamen majora pondera corpori nocent, cum etiam ad unciam uno hauſtu datum tolerari ſciamus; (TORTI *l, c,* LIND *Diſeaſes in hot countries, p.* 67. 294.) uti etiam diutiſſime continuatus & ad plures ſucceſſive libras devoratus ne minimum damnum affert. (LOESEKE *Mat. med. Edit.* 4. *p.* 421.)

Cum vero multi ægrorum corticis in ſubſtantia uſum reſpuant, vel minus bene ferant, utut efficaciſſimum, inquirendum eſt, quænam ipſius præparationes ſubſtantiæ remedii proxime accedant; quænam ejus partes conſtituentes vim ignis vel menſtruorum facillime & ſine virium deperditione ferant; ad quasnam partes in hac vel illa indicatione curatoria potiſſimum reſpiciendum ſit; qua tandem arte requiſitæ majoris corticis quantitatis virtus in minus volumen concentrari poſſit.

Et quidem reſpectu virtutis antifebrilis potiſſimum ad partes volatiles attendendum eſſe videtur. Licet enim ſint, qui iis plane nullum, aut infinite parvum effectum tribuant, cum exigua portione cortici inſint, (ROEGNER. *l. c.* §. 11.) & recentiorum quorundam methodum febres per externum ipſius in ſubuculis uſum curandi,

randi, ridiculam faciant, (VOGEL *Prælect. p.* 17.) majore tamen jure alii ipſis illis volatilibus partibus non minimam partem virtutis ſpecificæ tribuunt, (TODE *Medic. Bibl. I. B.* 3. *ſt. p.* 157.) indeque recte explicant, cur externe exhibitus juvet; cur febres quandoque ſanaverit, licet poſt aliquot dies immutatus eodem pondere vomitu iterum rejectus fuerit; (CULLEN *Lectures in mat. med.*) quomodo adeo brevi temporis ſpatio paroxiſmum proxime inſtantem ſupprimat, quod non ſufficeret, fixioribus ejus partibus extrahendis. Hinc quoque cortex vetuſtus longe minoris efficaciæ deprehenditur, quam recens; in ægro enim, cui doſis duplicata corticis per triennium in ſcatula probe aſſervati, amari quidem ſed inodori, repetitis vicibus propinabatur, febris non tollebatur, quam tamen quarta unius talis doſis pars corticis recentis ſtatim ſupprimebat; & corticis unciæ binæ cum aquæ libris aliquot deſtillatæ, aquam dabant pellucidam inſipidam, ſed ſpecifico corticis odore impregnatam, quæ ægrum tertiana laborantem illico ſanabat, reſiduus vero pulvis utcunque amarus in alio ægro ſimillima febre laborante ne minimam præſtitit efficaciam. (KESLER *Beobacht. ü. d. epid. Faulfieber, v. J.* 1771-72. *p.* 251.) Præter has volatiles gummi reſinoſæ ad vim antifebrilem plurimum conferre videntur; pulvis enim ab extractione per ſpiritum vini rectificatiſſimum reſiduus pallidus, ex-

ſiccatus

ſiccatus in febribus intermittentibus porrectus haud obſervabile produxit levamen; (ROEGNER *l. c.* §. 39.) ita ut in praeparatis corticis, ubi vim antifebrilem integram ſervare velis, ad volatiles & gummireſinoſas potiſſimum reſpicere oporteat.

Vis adſtringens corticis in reſinoſis partibus ſedem habet. Reſina enim ex decocto corticis præcipitata & ſpiritu vini ſoluta cum vitriolo martis nigrum colorem induit --- decoctum contra a reſina ſeparatum ſaporem adſtringentem amittit ſervata tantum amaritie --- & ſi iteratis vicibus cortex decoquatur, poſteriores decoctiones minus turbidæ reſinoſis partibus orbæ ex vitrioli martis ſolutione colorem non mutant; (LEWIS *l. c. p.* 445.) quare etiam infuſione ſpiritus vini rectificatiſſimi ſuper corticis pulverem ejus ſaporem adſtringentem quantum placet imminuere poſſumus, & pallidus nunc pulvis ſpiritum iſtum non amplius tingens cum aqua coctus, adjecto vitriolo non nigreſcit. (ROEGNER *l. c.* §. 9. 22.) Reſinoſae igitur partes ſervandae, ubi vim adſtringentem obtinere velimus.

Vis antiſeptica, quam etiam in mortuo corpore animali exercet cortex, in reſinoſis particulis contenta eſſe videtur. Infuſum quippe corticis aquoſum temperato colore praeparatum, gummoſas tantum partes extrahens, vel etiam

pulvis ille pallidus ab extractione ſpirituoſa reſiduus, lotio admixta corruptionem ejus neque impediverunt, neque retardarunt. (ROEGNER *l. c.* §. 36.) Ad has igitur in putridis morbis attendendum; non vero ſolas, cum vires antiſepticas in corpore vivo etiam a reliquis principiis dirigi & determinari viderimus.

Vis ſtomachica, reſolvens viſceralis, in gummoſis amaris partibus latet, ubi ergo hanc a reliquis viribus ſeparatam adhibere velimus, praeparata corticis, quae gummoſas haſce maxima copia ſolutas continent, praeferenda erunt.

Ex his itaque variarum corticis praeparationum efficacia facile dijudicari poteſt. Uſitatiſſimum inter has eſt decoctum, larga aquae copia factum; ita ut e. gr. uncia una corticis cum aquae libris duabus vel tribus ad remanentiam partis dimidiae vel tertiae coquatur ac dein decoctum coletur, cujus cochlearia duo vel plura repetitis pro re nata vicibus aegro exhibentur, ſinceri vel aquis deſtillatis aut ſyrupis vel etiam aliis remediis indicatis mixti. Tale quidem decoctum, ſi rite & empyreuma probe cavendo praeparetur, efficax omnino eſt, multosque aegros tum febribus tum aliis morbis affectos eo ſanatos fuiſſe non dubitamus. Eundem, quem corticis pulvis, ſaporem habet adſtringentem ama-

amarum, & cum ſolutione vitrioli mixtum nigrum ſiſtit colorem; pulvis a decoctione reſiduus palleſcit, nec ſpiritum vini rectificatiſſimum amplius tingit; (Roegner *l. c.* §. 16. 20.) ex quibus patet, non ſolum gummoſas ſed etiam reſinoſas partes in decocto contineri. Verum tamen aliter fieri non poteſt, quin ſub decoctione partes aromaticae volatiles maxima ex parte diſſipentur, etiam gummoſae & reſinoſae particulæ decomponantur, uti ex colore decocti turbido apparet; ideo in febribus intermittentibus & ubicunque omnium partium ſervata proportio & mixtio, volatilium praeprimis vis requiritur, omnino pulvis corticis decocto anteponendus. Attamen cum praeſertim in febribus acutis putridis tum deglutitionis difficultas corticis in ſubſtantia uſum impoſſibilem reddat, tum ventriculi vires adeo ſaepe debilitatae ſint, ut crudum corticem non ferat, ſed ſtatim vomitu rejiciat, vel ſenſus moleſtiae inde oriatur, ſaltem corticis partes non cito adeo & perfecte a liquoribus digeſtivis, depravatis ut plurimum, extrahi poſſint, opus ſaepe eſt, ut remedium forma fluida, quae partes corticis jam ſolutas habet, & in qua major quantitas in corpus ingeri facile. & copioſe humoribus miſceri, ideoque major efficacia ſperari poteſt, præſcribamus; hinc eſt, quod talibus ſub conditionibus quidam majorem decoctum corticis quam ejus ſubſtantiam effectum præſtare

 con-

coutendant, Sic certae obſervationes docebant cl. QUARIN, gangrænam proſerpiſſe cortice peruviano & in extracto & in ſubſtantia propinato, quae ſiſtebatur decocto ejusdem.; (*Meth. med. febr. p.* 24.) & cl. DE HAEN (*Rat. med. T. X. p.* 203.) memorabilem caſum refert militis ſclopeto manu vulnerata & gangrænoſa, digitis hinc inde ſemipendulis, in noſocomium adducti, in quo epoto decocto corticis ſiſtebatur ſtatim pars gangraenæ praecipua; dabatur pulvis, aſt brevi, quae antea ſanae comparuerant, purpuraſcebant nunc partes, livebantque; aucta pulverum doſi, crevit livor, gangraena proſerpſit; reddito decocto corticis, intra triduum livor diſparuit omnis; repetebatur experimentum cum magna copia extracti corticis, at vero livor mox varia vulnera defœdabat proſerpebatque confeſtim; decocto reddito, gangræna ſtabat, ac ſine ſeparatione mutabantur lividae partes in ſanam conſiſtentiam & colorem. Patet ergo in iis caſibus, ubi cortex virium ſuarum efficaciam omnem in ipſo ventriculo exſerere non poteſt, ſed ubi neceſſe eſt, ut cortex cito ſolutus & magna copia ſanguini tradatur & ad partes ipſas affectas ducatur, in quas vires ſuas exerceat, ibi decoctum ſubſtantia interdum efficacius eſſe.

Gratius redditur decoctum, ſi non prius coletur, quam refrixerit; (DE HAEN *Rat. med. T. XII.*

XII. p. 261.) vinum tunc vetus rhenanum & colore & limpiditate aemulatur. Obſervandum vero, ubi frigeſcat decoctum ante colaturam, reſinoſas partes a caeteris ſeparatas praecipitari, & in colatorio remanere, hinc tale decoctum viribus longe debilius eſſe. (Percival *l. c.*)

Adjiciunt quidam cortici decoquendo ſal tartari, ut eo citius partes ſolvantur, colorque ſaturatior reddatur; cum vero partes, quas aqua ſolvit, per additum alcali facile praecipitentur, inſuperque additamentum ſalis alcalini in febribus acutis, ubi major humorum motus, calor, & in putredinem niſus, noxam facile inferre poſſet, ab hoc artificio melius abſtinemus, niſi indicantia forſan adſint, quae combinationem corticis cum iſto ſale jubeant.

Extractum corticis peruviani praeparatur, ſi cortex cum aqua repetitis vicibus coquatur, decoctionesque mixtae leni igne inſpiſſentur, ad conſiſtentiam vel molliorem vel duriorem, (*Pharm. Lond. p.* 28.) Praeſtantior praeparatio eſt, & majorem gummoſarum & reſinarum partium copiam continet, ſi cortex primo ſpiritu vini extrahitur, dein ex magmate ſuperſtite reliqua pars ſolubilis aqua coctione elicitur, & utrumque liquidum junctim inſpiſſatur. (*Pharm. Wittenb. p.* 86. *Edinb.* 116. Lewis *l. c.*) Commodius quidem hae praeparationes nauſeantibus

 aegris

aegris, & qualicunque forma pilularum, elixirii, mixturæ, linctus propinari poſſunt; fieri vero non aliter poteſt, quin partes aromaticae volatiles ſub inſpiſſatione magis adhuc quam in decocto avolent; quare decoctio peragatur mitiſſimo ignis gradu & evaporatio lente & optime quidem in balneo mariæ fiat.

Reſina corticis (*Ph. Ed. p.* 117.) digeſtione ſpiritus vini rectificati & praecipitatione per affuſam aquam paratur. Cum vero hac ratione gummoſæ partes retineantur, magis conſultum eſt, ſpiritum vini cortice digeſtum inſpiſſare, quam praecipitare; vel ubi minus convenit ſpirituoſum menſtruum, ejus loco vinum adhibere; tale quippe extractum vinoſum reſinoſo utique activius, cum de utrisque ſolubilibus corticis partibus participet, atque facilius ab humoribus ventriculi & inteſtinorum ſolvatur.

Tinctura corticis peruviani (*Ph. L. p.* 69.) fit ſpiritu vini tenuiore; cum vero turbida ſit, reſinoſas partes cum hoc menſtruo non arcte uniri indicium eſt; volatilis (*ib. p.* 51.) ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum cortice macerato praeparatur, qui vero parum coloris & ſaporis ex eo extrahit. Minus ob ſpirituoſum menſtruum in febribus conveniunt tales tincturae, niſi excitans ſpirituoſorum vis vere indicetur.

Cum

Cum vero ob dictas rationes decoctiones & ex his praeparata extracta viribus debiliores; ſpirituoſae vero praeparationes non quibusvis in morbis ſecure adhiberi poſſint; tentarunt, annon menſtruis aquoſis ſine vi ignis corticis vites, eadem quantitate, meliusque ſervata partium proportione & combinatione extrahi poſſent. Frigidam itaque aquam adhibuere, quae lentius & mitius quam fervida, gummoſas primum & dein harum ope ſimul & reſinoſas ſolveret, retinens ſimul partes volatiles, quae fervida diſſipantur; praeſertim cum obſervaſſent, in genere plantas amaras plures partes aquae frigidæ communicare quam fervidae. (Percival *l. c. eſſ.* 20.)

Oſtenderunt ergo experimenta, talis infuſi corticis frigidi & decocti aequalem menſuram, eandem gravitatem ſpecificam habere, eademque phaenomena ad mixtionem cum ſolutione vitrioli in utroque apparere, aequalem ideo quantitatem materiae ex cortice ſolutae continere; eo ſaltem diſcrimine, quod in infuſo frigido quippe pellucido partes illae perfectius ſolutae ſint, quam in decocto turbido; (Lewis *l. c.* Percival *l. c.*) per repetitas infuſiones corticis cum frigida fere omnes partes activas extrahi, non minus quam per decoctiones; & evaporatione iſtarum infuſionum ſimile extractum obtineri, tertiam quartamve partem ponderis corticis adhibiti aequans,

praeferendum extracto vulgari, cum genuino corticis & ſapore & odore praeditum ſit. (Ziegler *in Lewis mat. med. p.* 447. *not.* ✝) Brevi autem temporis ſpatio talis extractio frigida ſufficientis efficaciae obtinetur; ſatis enim ſaturata fit infuſio, ſi uncia una corticis groſſo modo pulveriſati cum aquae libra una per 24 horas infuſa detineatur; neque neceſſario tantum temporis requiritur; infuſum enim quod per unicam tantum horam ſuper corticem ſtetit, eadem tum quoad colorem & ſaporem, tum quoad gravitatem ſpecificam & mixtionem cum ſolutione vitrioli dedit phaenomena; & dupla corticis quantitas ſub frequenti agitatione poſt tria minuta aeque forte infuſum praebuit, quam ſimplex poſt plures horas. (Lewis *l. c.*)

Tales infuſiones frigidae in aegris febribus intermittentibus & aliis morbis vexatis tentatae, non minorem vim exercebant, quam cetera corticis praeparata; & licet debilius omnino agere viſae ſint, quam cortex in ſubſtantia, is tamen defectus majore doſi unciarum nimirum duarum vel trium facile compenſari poterat. (Lewis. Percival *ll. cc.*) In iis, qui ſpirituoſis aſſueti ſunt, vel quorum morbi haec admittunt & indicant, loco aquae cum vino infuſum praeparari poteſt, cum inter omnia ſpirituoſa corticis menſtrua vinum prae reliquis eximium ſit. (Perci-

val

VAL *l. c. eſſ.* 19.) Poteſt etiam loco aquæ vulgaris deſtillata quædam grata adhiberi, & e. gr. infuſum parari ex Cort. per. unc. I. cort. aurant. incis. unc. dim. aquæ cinamom. ſimpl. unc. XII. ſpirituoſæ unc. II. per ſesquidiem in vaſe clauſo ſine calore detentis & dein colatis. (PERCIVAL *Philos. Trans. Vol. LVII. p.* 221.)

Adjuvatur quidem extractio, ſi infuſio aqua calida fit & in leni calore detinetur; (ROEGNER *l. c.* PERCIVAL. *l. c. eſſ.* 9. BERGIUS *Mat. med. p.* 107.) odoris vero diverſitas majorem partium aromaticarum abundantiam frigidæ ineſſe oſtendit.

Magis ſolutionem promovet corticis cum aqua trituratio, præſertim ſi ope machinæ Comitis DE LA GARAYE vel ſimilis inſtituatur; infuſum enim cum trituratione ſpecifice gravius quam aliud ſine illa paratum. (PERCIVAL *l. c. eſſ.* 13.)

Ex talibus infuſionibus frigidis per triturationem corticis cum aqua factis ſalem ejus eſſentialem ill. Comes DE LA GARAYE primus elicuit (*Chymie hydraulique. Nouv. edit. a Paris.* 1775. *par* M. PARMENTIER); illumque A. 1731. Galliarum Regi obtulit; qui quidem eo usque Sal vocari meretur, quod una cum aliis partibus ſalem eſſentialem ſervet. (MODEL *Verſuch üb. d. Salmiak.*

m. ak. Leipz. 1758.) Eſt autem hic ſal lamellatim concretus, in aqua frigida ſolubilis, ex aëre humidum attrahit, in igne cryſtalliſationem ſubit, ſaporis parum bituminoſi, igni injectus fumat, in carbonem diu rutilantem abit, tandemque in cineres alcalinos fixos fatiſcit. Natura ejus fere neutra, quia cum reagentibus non effervefcit. Paratur autem, dum corticis peruviani parva quantitas in pollinem trita, cum aqua aliquoties exactiſſime deſtillata trituratur per integrum diem, collatura filtratur, reſiduum vero eodem modo tractatur, donec inſipida redeat aqua; liquor acquiſitus in balneo vaporis exhalatur, inſpiſſatus imponitur patinis porcellanis puris, chartis ſiccisſimis tectis; materies contenta ſicca, indurata, reſinoſa, una cum ſale eſſentiali cultello chartæ ſubducitur; ſubductus ſimul ſal eſſentialis a gummoſis, reſinoſis & oleoſis alcohole affuſo liberatur, quo facto partes reſinam conſtituentes ſolvuntur, & ſolus ſal eſſentialis relinquitur, ferrugineus, in aqua ſolubilis, in alcohole indiſſolubilis. Cum vero operatio hæc cum machina illa trituratoria, quam deſcripſit ill. Comes, ad paranda extracta & ſalia eſſentialia vegetabilium pretioſa & tædioſa nimis ſit, (multum quidem hodie machina illa hydraulica quæ Neoſtadii nuperrime ſtudio Cll. KAEMPF & STADLER exſtructa, allevata, *v. Baldinger Magazin. 8tes Stück. p.* 705.) facilius ſimile ſal eſſentiale ex cortice methodo Geof-

Geoffroyana per infuſionem & digeſtionem extrahitur, quod ſali priori methodo parato parum cedit. Efficaciſſimum vero eſt, & majore puritate ab extracto vulgari multum differt, ſic ut drachma una magis efficax, ac binæ aut tres extracti habeatur; (QUARIN *Meth. med. febr. p.* 25. LURSENIUS *Diſſ. de Cort. Per. L. B.* 1751. *§.* 9. *ſq.*) ita ut omnino hoc ſal, vel ſi mavis, extractum ſiccum plus continere videatur, quam pulverem nonniſi tenuiſſimum, trituratione a craſſioribus terreis particulis ſeparatum, uti putant Cll. VOGEL. (*Chem. p.* 365.) & ERXLEBEN. (*Chem. §.* 128); interim tamen etiam hoc præparatum ipſius corticis ſubſtantiæ, vel infuſioni aquoſo-vinoſæ, tum ob nimium pretium, tum ob jacturam partium reſinoſarum in reſiduis poſt repetitas ſolutiones, colaturas, evaporationes relictarum, longe poſtponendum eſt. (PARMENTIER *l. c. p.* 205.)

Quibuscunque vero menſtruis utaris, nullo omnes activæ corticis partes perfecte extrahuntur. Prætendit quidem cl. BAUME (*l. c.*) duabus infuſionibus omne ſolubile ex cortice ita ſe extraxiſſe, ut cortex tali modo extractus ac dein decoctus aquæ parum vel nihil tribuerit. Contra cl. WELL (*in Quarin libr. cit. p.* 25.) infudit quantitatem corticis a cl. BAUME præſcriptam cum eadem copia aquæ, ſibique permiſit infuſum

per

per quatuor dies, aqua hac decantata novam afſudit, idque tertia vice repetiit, tandem corticem reſiduum cum aqua decoxit, & obtinuit decoctum turbidum ſaporis ſubadſtringentis amariſſimi: & cortex 25 vicibus decoctus, ita ut aqua nil amplius extraheret, pulvisque reſiduus omni ſapore privatus eſſet, cum ſpiritu vini denuo digeſtus, amaram & profunde tinctam dedit tincturam; (PERCIVAL *l. c.*) & viciſſim cortex iteratis vicibus ſpiritu vini extractus, fervidæ adhuc aquæ ſaturatam tincturam dedit; (LEWIS *l. c. p.* 445) denique pulvis corticis repetitis vicibus infuſi & decocti inſipidus, ſiccatus, & ægro quotidiana febre laboranti exhibitus, paroxyſmos indies breviores reddidit, tandemque delevit. (PERCIVAL. *l. c.*)

Quoad rationem, quæ eſt inter corticem & diverſas corticis præparationes, ea vulgo ita indicatur, ut, ubi pulveris corticis in ſubſtantia drachma una ſufficit, ibi decocti aut infuſi ea quantitas ſit aſſumenda, in qua duplum pulveris infuſum aut incoctum fuit: extracti vulgaris ſcrupulum unum; eſſentiæ ſpirituoſæ unciam unam, ſalis eſſentialis grana quatuor dictæ, dictæ pulveris quantitati æqualia eſſe perhibent. Ceterum præparationis diverſitas rationem hanc valde inconſtantem reddit.

Ex

Ex his, quæ de uſitatiſſimis illis corticis præparatis dicta ſunt, facile etiam reliqua, vario ægrorum guſtui & opinioni accommodata, dijudicari & æſtimari poterunt; cum vel dictorum infuſorum, aut decoctorum aut eſſentiarum, proprietate habeant. Sic cl. SCHENCKBECHER (*l. c. p.* 135) gratam ſuccoladam chinatam parare docet ex nucleorum cacao unciis ſex, corticis chinæ unciis tribus, ſacchari unciis octo, balſami peruviani nigri drachma una, invicem mixtis & pulveriſatis ita parandam, ut duo cochlearia majora hujus pulveris cum tribus vaſculis aquæ vel lactis coquantur. Alii infantibus delicatioribus potum coffeæ chinatum ita præparant, ut drachmis duabus pulveris coffeæ toſtæ unam corticis drachmam adjiciant, & ſimul coquant, pro potu ordinario, quali plures febres intermittentes ſanatas refert GMELIN. (*Diſſ. cit. p.* 40.) Artem clareta febrifuga cum muſto, aut cereviſias medicatas cum appropriatis conficiendi, variisque aliis formulis ægris gratis corticem præbendi ANDRIOLLUS, (*de febr. & morb. acutis*) DE MURALTO, (*E. N. C. Dec. II. A. VIII. obſ.* 2.) TAUWRY (*Traité des medic. T. II. p.* 213) UNZER (*Medic. Handbuch. p.* 119. *n. e.*) ROSENSTEIN (*v. d. Kinderkr. p.* 297.) aliique docuerunt. Caveas tamen, ne palato ægri nimis ſtudens, remedii vires & morbi naturam negligas.

Com-

Compoſitorum ex cortice medicamentorum, qualia ſub remediorum febrifugorum variis titulis paſſim occurrunt, virtutes, ex quantitate & forma corticis quem continent, variorumque admixtorum qualitatibus æſtimari debent. Optima in quovis caſu ea erit compoſitio, quæ morbi & ægri conditionibus maxime accomodata eſt, indicationibusque formatis maxime reſpondet.

Uſum corticis in clyſmatibus quod attinet, ea vel ex ipſius pulvere aqua diluto, vel quod melius eſt ob faciliorem propulſionem & retentionem, ex ejus decocto, aut extracto ſoluto, (quod quidem nimis pretioſum) parant. Tripla vero plerumque doſi opus eſt, quam ſi per os aſſumatur. (V. SWIETEN. *Comment. T. II. p.* 567.)

Uno etiam alterove clyſmate vulgari prius alvus eluenda eſt, ne faeces in craſſis inteſtinis hærentes obſtent; & ut poſtea diutius clyſma chinatum inteſtinis vacuis retineri poſſit; neque uncias quinque aut ſex in adultis excedat, ne mole ſua inteſtina ad excretionem irritet. Præſtat eadem ex ratione laudani liquidi aut tincturæ thebaicæ guttulas aliquot adjicere. (LIND *l. c. p.* 312.) Melius quoque ſyringa veſicæ ſubſtituitur, cum veſicæ ope non ſatis profunde cortex inteſtinis injici, hinc non ſufficiens quantitas per vaſa bibula, in inteſtino recto aliunde pauciora, abſorberi poſſit. (QUARIN *lib. cit. p.* 137.)

Gene-

Generalioribus hisce de corticis peruviani viribus variisque fatis præmiſſis, ad ſpecialiora progredimur, atque ex diverſorum illorum morborum, contra quos laudatur, natura & cauſis, cum remedii natura & viribus, ſummorumque in arte magiſtrorum teſtimoniis comparatis, conditiones illas, ſub quibus ejus uſus vel prodeſſe vel nocere debet, accurate determinare, atque ſingulis morbis applicare ſtudebimus.

SECTIO II.

USUS CORTICIS PERUVIANI IN FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

CAPUT I.

PRima itaque virtus, qua cortex peruvianus tantam ſibi famam acquiſivit, & qua omnino inter cetera hucusque cognita remedia fere eminet, eſt illa, qua febres intermittentes adeo certe, cito, & ſecure tollit, ut merito ſpecificum antifebrile dici mereatur. Huic enim fere uni remedio, dicit TORTI (*l. c. p.* 175.), datum eſt privilegium hocce, ut medicus ante oblationem poſſit ſpondere ſubitam certamque ſalutem, neque in benignioribus ſolum, ſed etiam in pernicioſis iſtis febribus, ita ut reſtituto ægro poſſit intra ſe modeſte glo-

gloriari, exſultare, & ſibimet ipſi dicere „Hunc hominem certo pereuntem hoc uno remedio vere ſervavi „ & ad quartanam, nemo eſt qui neſciat, quam parum votis reſpondeant methodi iſtæ omnes, quæ huic medicorum opprobrio eluendo hactenus deſtinantur, ſi corticem hunc excipias, (SYDENHAM *Opera. p.* 112.) qui omnes febres intermittentes in quavis anni tempeſtate, in omni ætate, temperamento, penitus, cito, tuto & feliciter ſanat, ita ut non opus ſit, ut medici ingenia ſua amplius torqueant in febrifugis novis explorandis; ſicut enim oriente ſole ſtellæ minores disparent, ita cetera febrifuga, e tribu amarorum, aut alia quavis petita, huic unico locum cedere oportet. (MORTON *Oper. T. II. p.* 66.) Maneat ergo laus evacuantibus diverſis, variis illis ſalibus, terris, metallis, plantis, ceterisque remediis & medendi methodis, quas antiqua recensve induſtria, aut felicitas reperit, at manebit eo magis ſua recte uſurpato cortici exiſtimatio; omnia enim illa, quantum adhuc reperire potuimus, quod ad certum & indubitatum effectum attinet, a cortice hoc multis paraſangis exſuperantur. (WERLHOF *Op. T. I. p.* 92.) quod ſi enim, ſi ſpecificum remedium appelles, quod per formam & mixtionem ſuam internam eſſentialem ita adverſatur cauſæ ſpecificæ morbi, vel ſymptomatis alicujus, aut ita reſpondet texturæ, craſi, connexioni & reliquo habitui alicujus par-

tis

tis corporis, ut, præter generaliores & manifeſtius explicabiles operationes, præcipua quadam contra morbum illum, aut contra illud ſymptoma, aut in eam partem, quibus remedium ſpecificum eſſe dicitur, polleat efficacia, quæ negari non poſſit, licet non plane ſit perſpecta, omnino inter hæc ſpecifica primum fere locum obtinet cortex. Longe interim aberrant, & temerarii nimis ſunt, qui in intermittentium genere in eo uno ſemper & ubique omnem fiduciam collocant, neglectis omnibus ceteris methodis, aliisque, ſi quæ adſunt, indicationibus. Uti enim nihil eorum, quæ ſanis corporibus innocua ſunt, vel certis morbis medentur, univerſim ita juvat, ut nullam noxam incaute adhibitum inferre poſſit; nec quicquam ſit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio lædi poſſint; ita etiam cortex peruvianus, quo majores uſus habet, & quo major, certior, clariorque ceteris ipſius efficacia eſt, eo frequentioribus abuſibus expoſitus eſt, eoque facilius nocere poteſt, ubi in morbis huic remedio non opportunis, vel parca nimis vel nimis larga manu, vel tumultuarie, ſine temporum & ordinis ratione, præbetur, vel conjunctarum indicationum juſta non habetur ratio, vel ejus uſus efficax & tempeſtivus procraſtinatur, caſtratur, vel perturbatur. Neque enim alio ex fonte falſæ iſtæ accuſationes, quæ utiliſſimo remedio invidiam contraxerant, ejusque uſum ſuſpectum reddiderant, derivandæ

ſunt, quam ex perverſa methodo & illegitimo modo, quo multi uſum ab abuſu diſtinguere aut neſcientes aut nolentes, illud propinabant.

Opponas igitur, corticem contra ſebres interdum fruſtra adhiberi. Aſt quodnam medicamentum nominabis, quod eundem ſemper optatum effectum in ſingulis morbis, contra quos alias ſpecificum eſſe nemo dubitat, præſtiterit; nonne valerianæ antepileptica, ipecacuanhæ antidyſenterica, cantharidum antihydrophobica, mercurii antivenerea vis interdum deficit; an ideo minus ſpecifica? Et ſic, licet non diffitendum, non cunctas febres intermittentes æque facile cortici illi cedere, utut circa ejus adminiſtrationem & uſum omnia recte fiant; ſi nimirum vel contumacior hoc impediat cacochymia, cruditatum abundantia, prava diæta, aut conſtitutio aëris epidemica ſingularis, aut ægri idioſyncraſia; hæ tamen circumſtantiæ, cum tales pariter ſub aliorum remediorum alias ſat efficacium uſu deprehendamus, neque hujus virtuti ac nobilitati aliquid detrahere valent, neque ſpecifici titulum, quippe huic remedio, ſi cui alii debitum, demere queunt: & ſi cortex, ubi non indicatur, datur, fruſtra exſpectabitur ab eo morbi ſanatio; vel detur rite indicatus, ſed inepto ad cooperandum corpori, ſed ægro irreparabiliter exhauſto, neque vires exſeret ſuas; dederis optima cum indicatione

cor-

corpori aptiſſimo, haud id, quod intenderis, obtinebis, apta ni dederis doſi. (DE HAEN *Rat. med.* T. *VII. p.* 50.)

Opponant alii, corticem omnino contra febres ſpecificum, at ipſum rectum ejus uſum ſemper eſſe noxium, dum laudabiles naturæ ſapientis conatus avertat & cohibeat, nulla alia quam motus ſtringente vi præditus; aſt enormis illa & abſurda febrium ſine limite laudatio hodie ſatis ſubruta & intra ſuos terminos coarctata eſt, ut ejus refutationi facile ſuperſedere poſſimus; & ſi etiam ex adſtringente vi ſola virtutem corticis febrifugam derivare velis, an ideo ejus rectus uſus noxius ſemper judicandus? nonne ex ſola tonica adſtrictione & corroboratione partium, qua ad coquendam & excernendam qualemcunque materiam aptæ redduntur, & ex conſequente per febris ceſſationem nativa œconomiæ tranquillitate & functionum integritate, & feliciori nunc ſperando laudatorum naturæ moliminum ſucceſſu, ſatis emolumenti emerget; præſertim cum innumeræ obſervationes docuerint, corticem, uti nullas ſenſiles excitare ſolet, ita etiam nec ullas cohibere evacuationes criticas inchoatas, ſive per ſeceſſum illæ fiant, ſive per aliam quamlibet viam, ſed eas potius promovere; ſupprimere ipſum ſymptomaticas tantum, & quidem non vi quadam adſtrictoria, ſed illa qua febrem illarum productricem

 delet;

& cur ob hanc adſtringentem vim damnandus cortex, cum tamen illa ſuperioribus ſeculis omnibus ſcholis accepta & laudata ſpecifica antifebrilia, plurima ex adſtringentium claſſe deſumta, ſine ulla hæſitatione uſurpabantur, neque ideo quod febres in medio curſu interciperent vel penitus profligarent, ſuſpecta habebantur, licet nulla differentia interſit, niſi quod cortex ceteris certius & potentius febrim reprimat; nonne illa ſimili modo febriles motus ſupprimebant? Quis porro probaverit, febrilem illam materiam, quæ per ſe tam exiguæ molis eſt, & licet vehementiſſime afficiat, facili de cauſa in homine ſaniſſimo naſci, & iterum facile denaſci, & exigua vel nulla excretione corporis, anni, aërisque mutatione inſenſibili, immo leviſſimi ſæpe ponderis remedio, exſtingui & excludi poteſt, venenum eſſe adeo inſuperabile, ut nullo antidoto adæquato, nullo naturæ in functionum integritatem reſtitutæ robore edomari, digeri & excerni queat; ſed ſolis violentis illis & ſæpe formidandis febrium motibus, vel remediis manifeſte evacuantibus, conſumi atque expelli debeat, noxam alias in corpore relicturum? nonne ipſa natura quandoque ſubito febres tollit, ſine ullo damno, ita ut qui paroxyſmos experti vehementiſſimos, nullis uſi remediis, nullaque manifeſta naturali aut artificiali humorum prægreſſa excluſione, febre tamen ſubito defungantur, nullo inde ſecuto verendo ſymptomate?

mate? & ſi forſan ex febris ceſſatione reliquiæ quædam in corpore deliteſcerent, nonne hæ ipſius corticis ope, ceſſante penitus violenta illa motione ſpaſtica ac fervida, quæ per paroxyſmos afflixerat, reſtitutis in integrum functionibus omnibus, robore evidenter fibris addito, melius & perfectius corrigi, coqui, aſſimilari vel per vias excretorias varias diſſipari & exterminari poterunt, quam ab ambiguis tumultuariis & errori obnoxiis motibus febrilibus? nonne ipſæ illæ excretiones criticæ, ſudores iſti copioſiores olidi, urinæ illæ a corticis ſufficienti uſu fere ſemper coctæ & uberiores, aperte demonſtrant, materiam, ſi quæ adſit, peccantem, a cortice non figi, ſed indubie coqui & excludi? & ſi tandem in ceterorum ſpecificorum remediorum, antivenereorum, antiepilepticorum, antiſcorbuticorum, antiſepticorum uſu, non ſumus ſoliciti, an ſucceſſive materiam morbidam evacuent, modo morbum certo & tuto tollant, inſanum eſſet, corticis uſum rectum, ea tantum ex cauſa, quod non ſemper manifeſtas evacuationes producat, damnare, uti prolixius id oſtenderunt BERGER, BOHN, TORTI, WERLHOF, GMELIN (*ll. cc.*)

Aliam oppoſuerunt cortici criminationem, quod nimirum febres ab eodem fugatæ frequenter recidivæ fiant; neque hoc negari poteſt, & niſi hoc unum obſtaret, arborem vitæ in China Chi-

næ ſuperſtitem divina clementia crediderim, dicit TORTI (*l. c. p.* 5.) Reſpondemus vero, quod non ſemper recidant ægri ab aſſumto cortice, præſertim ſi rite ac per repetitas juſto ordine vices aſſumatur; & ſi recidant, frequentiſſime in uſu ad morbum non adæquato, in doſi, continuatione, repetitione, diæta, regimine peccatum fuiſſe. Eſt porro id ipſius hujus morbi tum recte tum perperam curati ingenium ad reverſiones pronum, ſi febris vel ex ſua natura futura fuiſſet diuturna, vel alias ſtatus epidemius, aut morbi indoles ad motus recidivos inclinet; & pleni ſunt omnes veterum recentiorumque obſervatorum libri mentione febrium recidivarum, a quavis medendi methodo contingentium; ſunt febres, quæ vel primo quoque tempore, levioribus methodis remediisque minus certis penitus obſecundant, neque facile redeunt; ſunt aliæ pertinaciter reſiſtentes, ubi generoſioris medicinæ opus, & curatio difficilis eſt, quæ & frequenter recidivant: turpiter vero erraret, qui medelis iſtis levioribus tribueret ceſſationem morbi facilioris ſine reverſione, & e contrario regreſſum difficilioris medicamentis magis generoſis, quum utrumque morbi ingenio maxime deberi experimentis pateat. Obſervavit jam HIPPOCRATES (*Epid. L. I.* 5. 1.) febres æſtivas pleriſque reverſas, ut multi jam per hiemem adhuc laborarent; & in epidemia, quam deſcribit BIANCHI (*Hiſt. hep.*

p.

p. 748.) complures abſque cortice aliove febrifugo curati & aptum ſervantes regimen, adhuc relapſi ſunt. Recidunt ergo ægri ſumto, & non ſumto cortice frequenter autumno, qua tempeſtate pertinaciores ſunt febres; recidunt raro, ſumto & non ſumto cortice, tempore veris, & in principio æſtatis, quibus tempeſtatibus quælibet methodus felix eſt, cum febres tunc temporis etiam ſuo marte cito tollantur. (TORTI *l. c. p.* 6.) Quid igitur iniquius, quam a China China extorquere, ut nequaquam ab ea aſſumta revertantur febres — nonne & ſæpe ſæpius animadvertitur illarum reditus ab aſſumtis catharticis, aliisve remediis? & an Chinachina tenetur prohibere, ne, qui reduce fruitur valetudine, errata in diæta committat, ne cauſæ externæ, animi pathemata, febrim exulem provocent? (RESTAURANDUS, *Hippocr. de uſu Chinæ*) Ob febrem ergo ipſam, vel ob errata ab ægro ſive medico commiſſa recidivæ contingunt, & adeo procul eſt, ut per corticem producantur vel pejores reddantur, ut potius non ab alio remedio certius recidivæ præcaveantur; ſic TRAVERSARIUS (*Lanciſius Epid.* 4. *l.* 2. *c.* 8.) Piſauri obſervavit febres recidivas generatim copioſiſſimas accidiſſe, longe vero frequentiores & periculoſiores omiſſo cortice, quam ubi hoc remedium fuit adminiſtratum.

Alii tandem ad obſervationes virorum fide dignorum provocant, quæ oſtendant, non ſolum

frequentes recidivas, ſed etiam alia eaque graviora damna, hydropem, tympanitidem, arthritidem, ceterosve cachecticos morbos facile ex corticis uſu oriri. (GOELIKE *diſſ. de uſu C. noxio quamvis recto §.* 10.) Citant e. gr. ROMBERGII hiſtoriam de legione pedeſtri, ubi ex quadringentis fere militibus, chirurgi ope, per ſimplicem chinam bis in die ad drachmam & ultra datam, curatis, nullus non poſt aliquot doſes hydropicus evaſit, cum omnimoda virium proſtratione, & poſt breve tempus redeunte febre. (*M. N. C. Dec. III. A.* 9. 10.) neque hæſitant, annon potius a febris genio, a diætæ & potus vitiis, vel ab inepta purgatione, vel ab omiſſis maleve inſtitutis evacuationibus, vel ab imperfecta per remedium febrifugum medela, nocumentum illud illatum ſit, quam ab ipſo medicamento. Huc enim certe referenda ſunt cetera exempla fere omnia, ubi aliena culpa innocuæ medicinæ imputatur. Non negamus quidem, quin, ſi intermittentes febres, cum cacochylia aut viſcerum obſtructionibus complicatæ, ſtatim initio nullis præmiſſis aut conjunctis aliis remediis ſupprimantur, inde, cauſa materiali intra corpus detenta, ſæpe morbi chronici, febre præcedente longe periculoſiores, excitari poſſint, quippe id ex plurimis obſervationibus conſtet; (ELLER *Obſ. de cogn. & cur. morb. p.* 96. *ſqq.*) num vero unus ex genuina corticis dandi methodo cachecticus

vel

vel hydropicus redditus fuerit, dubitamus. (WERLHOF *de febr.* T. I. *Op. p.* 98.) Non negamus, dari febres, ex quarum pertinacia & durationis longitudine viſcerum obſtructiones & qui inde oriuntur morbi chronici, producantur; idem vero in hisce febribus continget, ſive cortex adhibitus fuerit, ſive non; patet quippe ex veterum medicorum obſervationibus, eadem mala jam diu ante corticem inventum, aliis vel etiam nullis adhibitis remediis, ſuperveniſſe, ut potius credas, hæc mala poſt uſum corticis inventum multo rarius quam antea obſervari; (LISTER *de hydrope p.* 2.) & frequentius hodie contingere ubi cortex non adhibetur, quam poſt ejus uſum; ſic enim cl. TORTI (*l. c. p.* 119.) æſtate anni 1707. multos vidit ex tertianis, quibus cortex adminiſtratus non fuerat, intra paucos dies tumidos factos, ac veluti anaſarca correptos obiiſſe; contra eodem tempore duos ægros quartana triplici laborantes jamjam hydropicos per chinam chinæ curatos. Immo ſi chronici iſti affectus ex ipſa febrili materia nati, ipſius febris progenies ſunt, vix ab ullo alio remedio quam a cortice exſpectari poteſt auxilium, uti exempla innumera phtiſium (MORTON *Phtiſiol. Op. T. I. p.* 172. *ſqq.*) arthritidum (WERLHOF *de febr. Op. T. I. p.* 97) hydropum (BRUNNER *A. N. C. Vol. I. obſ.* 128. RESTAURANDI *l. c. c.* 12.) icteri (CAMERARII *exercit. qua Cort. uſus a febre ad icterum extenditur.* Tubing. 1730.)

 alio-

aliorumque febres excipientium vel comitantium morborum oſtendunt. Ita ut quæ damna poſt febres evenientia ab ignara plebe, immo a medicorum quorundam opinione, cortici imputantur, ſæpiſſime ejus neglecto potius quam recto uſui adſcribenda ſint. (HEISTER *Diſſ. de medico nimis timido.* CLEGHORN *obſerv. on the epid. diſeaſes in Minorca. p.* 216. PRINGLE *l. c. p.* 216.) Quin ſi gravioribus viſcerum obſtructionibus febris intermittens accedat, quæ fructum nullum affert, ſed impedit potius medelarum aperientium effectus, malum itaque auget, vires indies minuit, aut pernicioſam induit indolem, tunc adeo non illicitus eſt remedii uſus, ut potius indicetur, quod ipſum neque obſtruit, neque violenter irritat; ita tamen, ut altero ſemper oculo ad vitium febri junctum reſpicias, quod tamen ſublata febre noxia, & roborata natura, felicius nunc curare licebit, medicamentis aptis cortici additis, interpoſitis vel ſubjunctis. (WERLHOF *l. c. p.* 198) Sed demus tandem, id contingere nonnunquam, quod magni in arte viri tantopere formidarint; an ergo id, quod ſcorbutus, quod hydrops, quod obſtructiones, ex liberaliori corticis doſi naſcantur nonnunquam, eo demum nos abigere debet, ut miſeros, aut ſine cortice, aut ſine eodem copioſiſſimo, certiſſime perituros, cumque eodem largiſſimo ſervandos, iniquæ ipſorum ſorti dimittamus potius, quam ut concedamus, illos in vi-

tam

tam revocatos diſcrimen ſubire ſcorbuti, hydropis, aliusve cujuscunque morbi chronici (DE HAEN *Rat. med. T. VII. p.* 58.)

Neque ullum de corticis tum ſpecifica virtute tum ſecuritate ſupererit dubium, ſi hisce omnibus ſummorum medicorum teſtimonia addas, qui maximo ſemper cum fructu & ſine ullo cortici adſcribendo damno ipſum in curandis febribus larga manu adhibuerunt. Ex centum ægris hoc remedio uſis vix unum non convaluiſſe; & ex triginta quartanariis eo ſanatis ne vel duos in morbum relapſos, & in hisce ipſis medicum potius quam medicamentum culpandum fuiſſe, ſcribit DYGBÆUS; (*de remed. ſecretis.*) & Cl. TORTI (*l. c. p.* 165.) HOFFMANNUS (*Diſſ. de recto C. C. uſu, l. c.*) ad experientiam 50 annorum provocant, quibus feliciſſimo cum ſucceſſu hoc remedio uſi fuerint. BOECLER (*in Hermanni cynos. mat. med. T. II. p.* 205.) ſe aliquot mille milites diverſis febrium intermittentium ſpeciebus afflictos divino hoc remedio curaſſe dicit, vix occurrente uno aut altero & quidem ex culpa ægri male cedentis medicinæ exemplo. Per triennium ſingulo anno ultra 140 libras corticis præſcripſit cl. LIND, (*l. c. p.* 277.) neque ullam unquam inde obſervavit noxam, quæ nimirum cortici potuiſſet adſcribi. „Poſt innumera, dicit cl. WERLHOF, (*l. c.*

p.

p. 243) ſummorum & fide digniſſimorum obſervatorum teſtimonia, ipſe ego tot felices & conſtantes, immo ſtupendos ex iſto remedio ſucceſſus vidi, his oculis ſenſibusque uſurpavi, tot ex adverſo febrium infelices ſponte eventus, quos ſcio me iſthac curatione ſola certo impedire poſſe, ut ſenſum omnem ejuraſſe me oporteret, ſi præjudicantium cenſorum vagæ opinationi fidem potius adhiberem, ut improbus forem & medici cordati nomine indignus, ſi medelam adeo certam & inſontem ob aliena judicia omitterem, ſi morbus ea domabilis haud fidus innocuusque eſſe videatur; nihil jam de longe plurimis aliis ægris dicam, quos continuato hujus ſolius remedii uſu, ſolide curatos vidi & novi; prætereo felix fatum plurimorum hominum cujuscunque ætatis & habitus, quos, empirica arte qualicunque, vel ſtatim plane ſanari hoc remedio, vel per varios caſus & reverſiones, ingenti copia corticis ſenſim devorata, tandem integræ ſanitati ſponte, vel ea ipſa curatione, reſtitui contigit; id quod, ſi quid noxii, ſeu naturæ inimici, in ipſis remedii particulis hæreret, aut ſi febris eo curatæ materia adeo inſuperabilis eſſet, fieri nullo modo potuiſſe, facile patet; rediit enim ſanitas, quantumcunque ejus remedii in corpus adſumtum fuerit.„ Et quantum ad noſtros ægros, dicit DE HAEN, qui per octo annos in noſocomio noſtro copioſiſſimo uſi cortice fuerunt, nondum ulla chronica inde mala no-

notare potuimus; (*Rat. med. T. VII. p.* 55.) Neque etiam poſt multorum annorum revolutionem ullam relinquit noxam, ſed firmato appetitu, reſtituta alimentorum concoctione, adjecto generi nervoſo robore, ſanitatem potius firmiorem reddit, quam antea fuerat; plurimos certe poſt quatuor luſtra annorum, ab uſu corticis vegetos & firma valetudine adhuc utentes, & magis athleticos, viderunt MORTON (*Op. T. II. p.* 79) & WERLHOF (*l. c. p.* 245); quin ex his nonnullorum ſummam ſenectutem remedii hujus prophylactico uſui potiſſimum tribuere non dubitent; exemplo medici illius ſenio meritisque gravis, qui, per multorum annorum ſeriem, verno quotannis tempore, ſanus, robori viſceribus conciliando & promovendis excretionibus, per aliquot hebdomades hoc remedio uſus eſt; (WERLHOF *l. c. p.* 245) & Ludovici XIV. Regis Galliæ, cujus vegetam ſenectutem Europa novit, qui poſtquam per corticem febre liberatus fuiſſet, poſtmodum quoties præcautionis gratia corpus pharmaco purgavit, eodem medicamento per aliquot deinde dies uſus eſt, ut naturæ robur ſervaret; (*Les admirables effets du Kinkina. p.* 27. 47) ſenis itidem nonageſimum ſecundum ætatis annum agentis, per chinam curati & poſt biennium adhuc viventis (BADUS *l. c.*) vetulæ elumbis & paralyticæ 67 annorum, quæ poſt aſſumtas libras duas corticis iterum juveneſcere viſa eſt, & octuageſimo

geſimo ætatis anno corpore magis erecto & greſſu magis cito incedebat quam ante uſum corticis. (MORTON *T. II. p.* 152); alius tandem nonageſimo ſecundo ætatis anno ſubcontinua febre longiore, ſimul & diarrhæa correpti, ac ſubinde ſanati, robuſtæque valetudini reſtituti, quin & poſt biennium iterum pari ratione ope corticis curati. (TORTI *l. c. p.* 329.)

Sunt vero nonnulli, qui, licet corticis in febribus intermittentibus uſum non interdicant, eum tamen ſaltem non ab initio febrium concedunt, ſed diuturna prius exſpectatione eas curandas, & ſemper & ubique, repetita luſtratione & præmiſſis varii generis medelis, corpus præparandum, vel corrigendum ſingulariter aut miſcendum remedium docent, quo facto tutum tandem reddatur ad illud confugere; his præcipue utentes argumentis, quod febres intermittentes plerumque ſatis ſecuræ ſint, facile tolerentur, & plus boni quam mali facere ſoleant, corpus ad longævitatem diſponant, immo ſæpe ab inveteratis malis depurent.

At ſecuritatem quod attinet, tantopere a veteribus inprimis medicis prædicatam; ejus laudes omnino ita moderandas eſſe quivis prudens fatebitur, ut nonniſi tunc locum habeant, ubi æger officium ſuum facit, neque a corporis habitu, aëris locorumque natura, aliorum affectuum compli-

plicatione nihil metuendum eſt, neque morbus a conſueta ſua indole deflectat. Quot vero ægrorum ad Hippocraticæ diætæ leges pro noſtri ſeculi moribus ſeſe adſtringent? quot ex tædio morbi lentioris in diæta delinquent, & inſcio medico confluentibus undequaque anicularum conſiliis potius aures aperient, quam medici de proxima ſpontanea morbi ſolutione ejusque ſalubritate inanibus ſolatiis acquieſcent? Neque idem ubique ſpirat aër, & alius locus alio, velut annus etiam anno, morborum certis generibus minus ſecurus eſt. Iidem certe ſapientes veteres, qui febribus iſtis vim medicatricem attribuerunt, ſimul tamen & probe norunt, eas per repetitos circuitus facile, aut in morbos acutos tranſire, aut habitum hecticum, & lentas corporis corruptelas producere; non ſemper enim, dicit PROSPER ALPINUS, (*de medic. method. L. VI. c. 2.*) tertiana ſeptem circuitibus terminatur, ſed longe pluribus, ut ſex menſibus perduraſſe a multis fuerit obſervatum, atque ni cito tollatur, minatur lienis obſtructionem, tumorem, cachexiam, vel in continuam mutatur ſumme periculoſam; & idem GALENUS (*ad 6. Epid.* 5. 6.) qui longa quartana comitialem morbum discuti teſtatur, lienoſis tamen valde incommodam eam eſſe, compluresque ipſorum exinde factos hydropicos & mortuos ſe vidiſſe fatetur; & HIPPOCRATES, qui (licet forſan non eo ſenſu, quo vulgo ſumitur) febres,

febres, quocunque modo intermittant, periculi expertes prædixit, (*L. IV. aphor.* 43) alio tamen loco, quartanas hibernas in morbos acutos tranſire ſolere, affirmat. (*Coac. prænot.* 159) Licet igitur naturam ſæpe ſponte febres ſanare, atque moliminibus iſtis febrilibus interdum humores quaſi deſpumari, depurari, functionesque in integriorem ſtatum, quam antea, reſtitui poſſe, certiſſimum ſit; non minus tamen verum eſt, eandem naturam ſæpe errare, labaſcere, & medici moderamine indigere; ubi neceſſe eſt, ut nunc frænum nunc ſtimulus adhibeatur ad nimios ac turbulentos motus pacandos, vel languidos incitandos, inſufficientes ſupplendos, aberrantes reducendos, inordinatos corrigendos; eadem molimina febrilia, quæ interdum obſtructiones circa fines vaſorum reſolvunt, & expediunt ſæpe talia, quæ nullis aliis ante febrem adhibitis remediis cedebant, ſæpiſſime contrarium effectum producere, vaſorum in toto corpore relaxatione, vitiata humorum juſta cohæſione, fluidiorum diſſipatione, craſſiorum & acrium retentione, indeque inducta humorum cacochymia, & viſcerum obſtructione innumeris graviſſimis malis originem præbere. Cum igitur felix ille ex febribus ſucceſſus adeo dubius, damna vero ex iſtarum diuturnitate longe certiora ſint, illud HIPPOCRATIS „morbos a principio curare oportet„ etiam hic valet; & quem ſperant a febribus bonum effectum, nonne

idem

idem tutius & certius per maturam febris curationem obtineri poterit? nonne aperientia, evacuantia, cortici ſi indicantur præmiſſa, vitioſos humores blandius corrigent & eliminabunt, viſcera obſtructa lenius reſerabunt, quam vehementes iſtæ concuſſiones, & motus inordinati ſub febris paroxyſmo contingentes; nonne ſecretionum & reliquarum functionum vigor efficacius & conſtantius per corticem reſtaurabitur, quam a febre id exſpectare poſſimus; & an ea, quam febres pollicentur, longævitas magis certa eſt, quam illa, quam ex cortice ſecundum ſupra citatas obſervationes ſperare licet?

Quod ſi vero chronicis gravioribus affectubus, quos ſubinde per febres ſublatos fuiſſe novimus, febris intermittens accedat, an tunc cortex ſemper noxius, & ab eo abſtinendum, & ſoli naturæ, quæ hanc febrim ſalutari forſan conſilio produxit, res relinquenda? Certe ſi æger poſt quemvis febris acceſſoriæ paroxyſmum melius ſeſe habet, ita ut appetitus redeat antea deletus, vires roborentur potius quam minuantur, color faciei vividior reddatur, incommoda ante febrem vexantia leviora potius quam graviora fiant, morbusque ipſe cui febris complicatur, vel evaneſcat, vel indies decrementum capiat, tunc ſane minus ſalubre foret, ad antidotum ſtatim procedere, & febrim ſiſtere; talibus enim ſub

con-

conditionibus omnino ſperandum eſt, hanc febrem corpus cacochymicis humoribus repletum ſublevaturam, obſtructiones viſcerum, quæ priori morbo originem præbuerunt, ſenſim expedituram, & cum ſua ipſarum materiem per paroxyſmos deſpumantem, ex corpore eliminaturam fore. Sic dolor inveteratus humeri dextri evanuit, dum quartana febris ægrum corripiebat, hac vero per corticem ſuppreſſa, rediit humeri dolor; poſt menſem rediit quartana, quam ferens patienter æger, donec ſenſim ſponte decederet, a moleſto illo dolore poſtea immunis vixit; (V. SWIETEN *Comment. T. II. p.* 525) & palpitationes cordis violentiſſimæ, ad quævis remedia rebelles, quibus vexabatur Cel. DE LA HIRE (*Hiſt. de l'Acad. des Sc. A.* 1718. *pag.* 110) ſanabantur accedente quartana, & poſtea ſanus ad ſeptuageſimum octavum annum vixit; & phtiſica in juvene diſpoſitio accedente tertiana cum vomitibus copioſæ pituitæ ſtipata penitus tollebatur; (ALSTON'S *materia medica. Lect.* 49.) ſic epilepſias (LANZONUS *E. N. C. D. III. A.* 3. *obſ.* 30) hemiplegias, (ELLER *Med. u. Chir. Anmerk. p.* 15. 18) pluresque alios pertinaciſſimos morbos (*exempla collecta vid. in* TRNKA *Hiſt. febr. intermitt. Vol. I. p.* 228. *ſqq.*) ſupervenientibus intermittentibus febribus feliciter ſublatas eſſe hiſtoria medica docet. Aſt longe alia res eſt, ſi tales febres chronicis morbis accedentes, aut ultra modum affli-

affligunt, vireſque magis debilitant, aut humores & functiones adhuc magis corrumpunt atque perturbant, ſicque prioris morbi periculum augent potius, quam minuunt; nonne tunc piaculum eſſet, rem naturæ & exſpectationi totam committere; nonne, ſi cauſæ prioris morbi inſuperabiles ſunt, per febrem magis fixæ reddentur, & viſcerum conſumtiones, vaſorum rupturæ potius promovebuntur; ſi vero ſuperabiles ſint, nonne tutius erit, eas aperientibus & ſolventibus remediis aggredi, febrimque noxiam cortice ſiſtere, antequam lethalis fiat? docet id caſus, quem narrat HOFFMANN (*Med. rat. ſyſt. T. IV. P. III. S. 2. c. 3. obſ. 3.*) ægri tumore pedum œdematoſo, ad abdomen uſque aſcendente, affecti; hic enim cum tertiana febre corriperetur, factum eſt, ut per ingentem horrorem ſub acceſſionum initio ſtatim detumeſcerent pedes, verum mox ſucceſſit ſumma ſpirandi difficultas, cum inſigni pectoris oppreſſione adeo ingraveſcens, ut fruſtra datis varii generis remediis, ſub quarto paroxyſmo, accedente catarrho ſuffocativo, extingueretur; ſimile contigit in femina quadam, quæ pedum œdemate diu affecta, accedente demum tertiana, fatis ceſſit. (*ibid.*) Utut igitur graviſſimi morbi febrium intermittentium ope aliquando perſanentur, ita & graviſſima mala nonnunquam concitantur, quæ ſæpius aut vitam adimunt, aut œconomiam vitalem irreparabili modo labefactant. (TORTI

 Jatro-

Jatroapolog. §. 35.) ſaltem priorem morbum ſæpe intactum relinquunt, exemplo Regis glorioſiſſimæ memoriæ FRIDERICI I. qui, apoplexia & ſubſequente lateris dextri paralyſi bis perculſus, plures poſt menſes, uno alteroque anno, febri intermittente corripiebatur, quæ vero ad minuendas hemiplegiæ illius reliquias adeo nihil valuit, ut tandem nimium moleſta corticis febrifugi opem poſceret. (AURIVILLIUS *Diſſ. de febr. interm. malignis. Upſ.* 1765. §. 1.) Quid quod cortex talibus in caſibus recte adhibitus adeo non nocuerit, ut potius una cum febre priorem morbum ſanaverit; ſic in viro ſexagenario quodam hemiplegia & memoriæ jactura dein vero ſalutari podagra affecto, ſuperveniens quartana tumorem quidem omnem diſſipavit, cortex vero contra hanc febrem adeo non nocuit, ut potius ex ejus uſu & febris & podagra evanuerit, priſtinusque redierit & virium & memoriæ vigor. (WEBER *obſ. med. faſc. II. obſ.* 16.) Alium febre ſoporoſa tentatum, qui pluribus ante annis dolore hypochondriorum & palpitationibus cordis laboraverat, cortice, nullis præmiſſis, ſtatim ſanavit WERLHOF, atque ſimul ab illis incommodis liberavit. (*de febr. l. c. p.* 165) Noverit itaque medicus diſtinguere affectus corticis virtute ſuperabiles, ab his qui eadem incaſſum tentantur; noverit febres faciles, genuinas, tutas, ſalubres, a difficilibus, degeneribus, inſidis,

no-

noxiis diſcriminare; ita nec temere nec timide curationem aggredietur, ubi temeritas potius eſt metuendo morbo habenas mittere, quem certa promta & innocua medicatione refrænare poſſis. (WERLHOF *l. c. p.* 106) Et in genere, quo debiliora ſunt corpora, eo minus commodi ex febribus exſpectari poterit; mox itaque curandæ ſunt in corporibus tenerioribus, infantibus, ſenibus, gravidis; & quo magis frigida pluvioſa tempeſtas, quo propius hyemi anni tempus eſt, quo longiora paroxyſmorum intervalla ſunt, quo diutius febris perſeveravit, eo magis neceſſaria eſt promta curatio. Longe enim difficiliori negotio, recte notante HOFFMANNO (*diſſ. de recto corticis in febr. uſu. l. c.*) & longe majori cautione cortex febri opponitur, ubi hæc aliquamdiu corpori inhæſit, quam ubi haud ita pridem illud invaſit, eo quod, quo diuturnior febris eſt, eo major recrementorum ex diſſolutione ſanguinis naſcitur copia, quæ poſtea ægrius & corrigitur & educitur; niſi igitur ex imminuta paroxyſmorum & ſymptomatum gravitate, ex feliciori febrilium motuum ſucceſſu, ex ſtatu epidemico, ex viribus ac habitu ægroti, ex ipſa ægri obedientia, & regimine in victu & aëre ceterisque rebus ſperando, ſpontaneam & optimam febris ſolutionem exſpectare licet, tutior profecto eſt velox, ſed perfecta morbi curatio, quam exſpectandi artificium & incerta medela quævis; & ſi

ſi nunc porro per hunc impoſtorem motus febriles ſupprimi & febrem ſiſti potius quam curari dicas, gratulamur ægro abdita tali febre mulctato, quæ ſinit ipſum cibum facile appetere, bene ferre, melius nutriri, optime quieſcere, vires recuperare, & exercere ſine laſſitudine, ſine moleſtia, uno verbo, ſine ullo febris indicio, vere enim ſalubris eſt & neceſſe ægro latentem hujuscemodi febrem toto vitæ ſuæ tempore circumferre. (TORTI *reſponſ. Jatroapolog. p.* 452.)

Sunt vero alii, qui licet maturum corticis contra febres uſum concedant, ſtrenue tamen inculcant, ne antequam ſigna coctionis appareant, corpusque probe purgatum ſit, adhibeatur; & hinc varia remedia præparantia, corrigentia, aperientia, evacuantia, præmittenda ſemper, vel miſcenda vel ſubjungenda eſſe docent, antequam cortice febris ſiſtatur. (BAGLIV *Oper. l. c.*) cujus dein multo minore copia opus ſit. At neque exquiſitiſſimæ corporis præparationes, neque ſpontaneæ & infidæ naturæ deſpumationes, multo minus correctiones, quas vocant, medicamenti, quod correctione opus non habet, id ſemper efficiunt, ut facilius minorique doſi febris deinde expugnetur; quin ſæpius, ubi exſpectaveris nimis, aut ſine indicatione purgaveris, aut nimium præparando, miſcendo, vel doſin reſcindendo, caſtraveris remedium, multo ſæpe

ma-

majori deinde cautione, multo majori univerſum pondere, longiorique medela opus eſt, niſi ſpe ſua cadere, & febrim conſervare, aut infeliciter incertove curare cupiat medicus. Neque evacuationes, licet ſæpe utiles ſint, ubi febris vel impurum corpus invaſit, vel ipſis ſuis motibus eliminandam humorum copiam generavit, ipſam materiam, ſeu cauſſam febris continentem attingunt, eamque educere poſſunt, ſed potius dum liquidiſſima ſic eliciuntur, & digeſtionis organa turbantur, ægrum debilitant, febriles motus ſuſtentant, quibus nova ſemper gignitur materia, qua novus ſemper inducitur paroxyſmus, ſicque tum febres diuturniores, curatu difficiliores reddunt, (V. SWIETEN *Comment. T. II. p.* 549. WERLHOF *de febr. T. I. Op. p.* 207. *ſqq.*) uti obſervationibus ſuis id confirmavit SYDENHAMUS (*Oper. p.* 100), qui ipſas etiam vernales tertianas ex ſua indole adeo curatu faciles, moras traxiſſe vidit usque ad autumnum, & longioribus & duplicatis paroxyſmis ægros penitus debilitaſſe, immo maniam, hydropem, diabetem induxiſſe, ex hac cauſa obſervavit. A febre igitur & propter febrim intermittentem depurantia illa & evacuantia non indicantur, ſed propter alias cauſas, plenitudinem, orgaſmum, impuritates, ſubtiliori illi cauſæ continenti junctas; ſi ergo hæc non adſunt, egregie inutilia ſunt, & ubi ultra modum laudantur & extenduntur, debi-

litando, perturbando naturam, tempusque potiori indicationi explendæ præripiendo nocent. Ubi itaque nulla vera indicatio contrarium jubeat, MORTONI potius conſilium ſequemur, qui (*Op. T. II. p.* 52) nulli, inquit, auctor ero, ut vel ſecundus paroxyſmus permittatur. Univerſum enim ſæpe febris, etiam intermittentis materiam, a primo inde inſultu, intra viſcerum & humorum receſſus, in herba certe, & niſu naturali, ita latere probabile eſt, ut ex ſuæ indolis lege, & pro naturæ ad illam habitu vel generetur, vel maturetur, vel in motum ſenſim agatur; neque tum niſi artis ope in herba ſuffocari poteſt morbus, ut præpediatur, quo minus per ſua tempora decurrat, & ſua ſponte revertatur. (WERLHOF *l. c. p.* 164) Ipſe certe HIPPOCRATES ſapervacuaneas interdum præparationes eſſe aperte aſſerit, cum (*Libr. de morb. II.*) inquit: „ Si febris tertiana detineat, ſiquidem poſt tertium paroxyſmum quartus prehendat, purgans propinato; quod ſi purgante non egere tibi videatur, pentaphylli radices, acetabuli quantitate in aqua tritas, bibendas dato. „ Et ſic BOHNIUS (*Diſſ. de præmat. interm. fuga ſuſp.*) teſtatur, innumerabiles fere, quibus initio morbi corticem præbuerit, eoque febrim ſanarit, nihil damni cepiſſe; conſultiusque eſſe, ex BADI, DONZELLI, PROTOSPATARII, LISTERI, MORTONI, JONES, & multiplici aliorum expe-

perientia, mox ineunte morbo corticem adhibere, quam ubi febris radices egerit, & ſuccos viſceraque, ac vires corporis labefactarit: Et COHAUSENIUS (*Archæus febr. fab. p.* 38) ultra mille febricitantes cortice ſanavit, neque ante, neque poſt ejus exhibitionem dato remedio purgante proprie dicto. Omnes enim evacuationes, aliaque quæ corpus debilitant, actionem hujus febrifugi minuunt, & niſi in primis viis ſit cacochymia, non opus eſt ulla præparatione. (GORTER *Med. comp. p.* 273) Hinc quoque cl. WERLHOF rariſſime, nec niſi urgente manifeſta indicatione, uſui corticis præmiſit evacuantia, in quacunque ſpecie febrium intermittentium, ſed corticem ſtatim per ſe, ne addito quidem granulo alicujus medicaminis exhibuit; hancque methodum ad ultimum usque praxeos annum ſecutus eſt; (*Oper. T. I. p.* 72. *not.* *.) neminemque eorum ulla poſtmodum recidiva, vel alia prava conſecutione mulctatum eſſe novit, ubi in prima acceſſione vocatus, corticis ſtatim uſu febrim fugavit, & eo continuato, ad omnium functionum integritatem ægrum perduxit. (*ib. p* 165.) Neque etiam Indi, teſtante BOLLO (*l. c.*) ſeſe purgabant, vel quocunque alio modo, ante corticis uſum præparare ſolebant. „Quid enim, dicit MORTON cathartico cum antidotis commune eſt? vel quis hactenus corpus purgandum eſſe ante uſum alterius cujuscunque antidoti

uſum duxerit? me quod attinet, utut nauſea inſolita ſuadente, lenius emeticum ante uſum corticis præſcribere nonnunquam neceſſarium duxerim, & in plethora, aut immani dolore ſpasmodico, aut alio ſymptomate vehementiori phlebotomiam ſuaſerim, & in cachexia inſigni catharticum propinarim; nullo modo tamen, absque evidenti indicatione, quicquam horum præparationis gratia miniſtratum curationi conducere, multo uſu expertus ſum; & longe abeſt, ut evacuantia corticis adhibendi minorem copiam efficacem ſatis reddant; ut potius, quo liberiores evacuationes inſtituere coactus ſum, eo majorem copiam præſcribi ſemper neceſſarium obſervaverim. (*Oper. T. II. p.* 100)„ Eſt etiam ubi, etſi indicationes veræ evacuantium uſum juberent, tutius tamen longe eſt, propter urgentia febris ſymptomata, cortici eadem poſtponere, quam præmittere; neque etiam tunc ex tali præmaturo at neceſſario ejus uſu ulla ab ipſo noxa extimeſcenda; qui ipſe ad febriles obſtructiones reſerandas, ad febrilem impuritatem corrigendam atque ejiciendam, maximum operæ pretium ſpecifice facit, reſtituta ſimul naturæ, medicationem omnem juvantis, tranquillitate, functionum integritate, & virium robore. (WERLHOF *T. II. p.* 378. CLEGHORN *l. c. p.* 218.)

Licet

Licet vero in febribus quibusdam intermittentibus ob periculi velocitatem, vel quod nullæ prorſus indicationes adſint, quæ alia remedia præmittenda expoſcant, ſtatim ad corticis uſum accedere liceat, in ceteris tamen plurimis præparatio corporis, ante corticis uſum, per remedia alia digerentia, aperientia, depurantia, evacuantia, ſæpiſſime utilis & neceſſaria eſt, neque ſine noxa omittitur, ſi ex methodo indicatur. Indicatur vero, ſi præter latentem illam febrium intermittentium cauſam, aliæ manifeſtæ remotiores cauſæ in corpore deprehendantur, quæ bonos corticis effectus prohibere, vel remorari, vel jam ſopitam febrim denuo excitare poſſent. Etſi enim febres intermittentes interdum absque ullo vitio obſervabili vel ſolidarum vel fluidarum corporis partium occurrant, vere nervoſæ, illaque cauſa latens absque ulla accedente occaſionali cauſa actuoſa fieri, & ſe ipſam excitare valeat; non negandum tamen, collectos ubicunque in corpore humores vitioſos, aliasve cauſas morboſas, vel ante febrim in corpore præexiſtentes, vel per ipſam febrim productas, cum illa concurrere & efficere poſſe, ut his irritata latens illa cauſa validius & fortius ægros affligat, vel ſopita & iners iterum actuoſa reddatur, ideoque corticis virtus, in prædiſponentem tantum febris cauſam agens, inefficax, vel ſaltem inconſtans reddatur; ubi igitur neceſſe eſt, ut antequam corticem adhibeamus,

mus, cauſas illas irritantes corrigamus & tollamus, ne vel febris integræ curationi obſtent, vel ſublata febre in corpore retineantur, variisque damnis anſam præbeant, quæ falſo cortici adſcriberentur, cum potius debitæ præparationis neglectui debeantur. Adeo vero variæ indolis ſunt cauſæ illæ remotiores, ut generales regulæ, quibus in præparatione illa ad corticis uſum inſiſtere poſſimus, dictari omnino non poſſint; utplurimum vero in viſceribus abdominalibus ſedem ſuam habere, omnes conſentiunt; hinc etiam digeſtiva, evacuantia, viſceralia, cortici præmittenda eſſe, fere ab omnibus docetur.

Et primo quidem colluviem vitioſorum humorum in primis viis inter frequentiſſimas febrium intermittentium cauſas occaſionales eſſe, quotidiana experientia quemvis docere poteſt. Licet enim bilem cum veteribus plerisque & recentioribus nonnullis medicis pro febrium cauſa materiali minime habeamus, cum colluvies impura primarum viarum ſæpiſſime adſit absque febris intermittentis coexiſtentia, viceque verſa totidem febres hæ absque illa occurrant, neque febris perfecta curatio colluviei iſtius expurgatione ſemper abſolvatur; frequens tamen & ſæpiſſime adeo arcta aſſociatio hujus cum vera illa febrium cauſa obſervatur, ut illa ſublata, febris vel ſponte vel facili opera per corticem tollatur, neglecta vero, febris

ſebris ad omnia remedia ipſumque corticem rebellis perſiſtat; ſive nunc iſta colluvies ante ſebris primum paroxyſmum, in primis viis latuerit, ſive per ipſos paroxyſmos ſecretiones humorum digeſtivorum pervertentes producta fuerit --- ſive eadem iteratis vicibus ad ſanguinis maſſam deferatur, ſive ex ipſis primis viis nervos irritando per conſenſum ſenſorium commune affligat. Vix enim non ſemper ægri febribus intermittentibus laborantes nauſeam, appetitus defectum, oris alienum & ingratum ſaporem, præcordiorum oppreſſionem, conqueruntur; & ſi vel ſponte vel arte corrupta colluvies in primis viis hærens evacuetur, ſequens paroxyſmus longe mitior eſſe ſolet. (VAN SWIETEN *T. II. p.* 537) Epidemicarum præſertim febrium intermittentium communis interdum talis obſervatur indoles, ut in omnibus ægris bilis corrupta circa præcordia fluctuet, quales caſtrenſes obſervavit cl. KRAMER, (*Commerc. Nor. A.* 1738. *p.* 285) quæ unico cremore tartari bis terve die intercalari propinato cedebant, & diarrhœa critica terminabantur, ita ut illæ etiam legiones, ex quibus multi diarrhæa laborabant, longe pauciores ægros numerarint. Quare etiam febres bilioſæ putridæ epidemicæ non raro in febres intermittentes transeunt, nonniſi iteratis ſaburræ putridæ evacuationibus ſubmovendas; (WEICARD *Obſerv. med. p.* 9) neque pernicioſas iſtas febrium intermittentium maligna-

lignarum epidemias aliunde ſæpius, quam ex humoribus bilioſis in hypochondriis ſtagnantibus originem ducere, ex WERLHOFII, MEDICI aliorumque obſervationibus abunde patet; quibus ſi addas jactatam a quibusdam ſpecificam contra febres vim, hellebori, tithymali, ſcammonei, pulveris cornachini, aſari, vitri & ſulphuris antimonii, per evacuationes præcipue agentium, ſimiliumque purgantium & emeticorum, quæ febres curarunt, poſtquam cortex peruvianus larga doſi inter acceſſiones porrectus, longoque tempore inutiliter continuatus fuiſſet, nullum de hac intermittentium cauſa reſtabit dubium. Variam vero hujus colluviei in variis iſtarum febrium ſpeciebus deprehendimus qualitatem: ſic in tertianis bilem præcipue, tum nimia copia, tum acrimonia peccare; in quartanis vero frequentius tenacem mucoſam cruditatem viſceribus impactam in culpa eſſe, communis medicorum obſervatio eſt; ſæpe etiam verminoſa colluvies febribus intermittentibus originem præbet, uti deſcriptio epidemiæ febrium intermittentium verminoſo-bilioſarum, quam dedit cl. VAN DEN BOSCH, (*Hiſt. conſt. epid. p.* 71. *ſqq.*) aperte docet, qua nimirum maxima ægrorum pars vermes abdomine aluit, quibus vel ſponte vel arte excretis, morbus placide brevique tempore paucis adhibitis remediis abiit, pertinaciter vero reſiſtit, ubi ſoli febri intactis vermibus proſpectum fuiſſet; ut alia exempla a

cl.

cl. ANDRY, GRAINGER, aliisque notata taceam.

Non vero ſemper primis tantum viis incluſus eſt hic febrium fomes, neque adeo mobilis, ut unico adhibito medicamento evacuante iſte & una cum ipſo febris ſimul tolli poſſit; ſed altiores quandoque illa colluvies & inde pendens febris radices habet, nimirum in obſtructionibus viſcerum abdominalium. Sæpius enim obſervamus poſt adhibita evacuantia, neque ſigna illa ſordium inteſtinalium evaneſcere, neque febrim tolli, ſed denuo novas iterum colligi impuritates, quæ etiam repetitis purgationibus exhauriri non poſſunt, id quod in febribus autumnalibus & quartanis præcipue contingit; hunc vero continuum vitioſorum humorum ad primas vias affluxum ex obſtructione, indeque nata perturbata functione viſcerum abdominalium produci, ictericus corporis color, præcordiorum tenſio & durities, urina bilioſa, anxietas, alvi inordinata egeſtio, ceteraque viſcerum, hepatis præſertim, obſtructionum ſigna manifeſte docent. Tales vero febres vel ſolis evacuantibus vel ipſi cortici adeo non obediunt, ut potius, profundius adhuc viſceribus incuneata materia ſtagnante, pertinaciores reddantur, tandemque in hydropem, icterum, phtiſin transeant. Sic obſervavit ill. VAN SWIETEN (*Comment. T. II. p.* 564) poſt fervidiſſimas

æſtates

æſtates prægreſſas ſequenti autumno febres intermittentes epidemice graſſatas fuiſſe per totam fere Europam, inprimis decimo nono hujus ſeculi anno; videbatur nimirum tunc per ſummos æſtus prægreſſos liquidiſſima ſanguinis parte diſſipata, reſiduum ſpiſſum & tenacius difficilius per hepatis anguſtias tranſire potuiſſe, unde obſtructio hic nata, quæ bilis debitam confectionem non tantum, ſed & reliquorum viſcerum chylopoieticorum functiones turbabat; obſervavit vero tunc & in ſe ipſo & in aliis his febribus laborantibus colorem oculorum ſubflaveſcentem, urinam ſubicteritiam, anxietates, ponderis gravantis ſenſum circa præcordia, nauſeam, obtuſum in hypochondrio dextro dolorem; ubi autem ingenti ægrorum numero obruti Medici corticem peruvianum exhibuiſſent, plerumque peſſime ceſſit ejus uſus, inprimis ſi, non contenti inducias impetraſſe, ut refocillarentur ægri, redeuntem febrim illico dato iterum cortice comprimerent, vel continuato ejus uſu illius reditum caverent; multis enim abdomen intumeſcebat, facies cerea reddebatur, & peſſime languebant tota hyeme ſequente; plures perierunt, dum ſenſim putrefacta, quæ viſceribus infarcta hærebat ſaburra, & verno tempore mota, dyſenteria vel diarrhœa putridiſſima ſequebatur; pluribus etiam copia ſanguinis tabefacto hepate ſurſum vel deorſum expulſa, cita & inexſpectata mors veniebat; ubi autem talibus ægris leni emetico

tico expulſa bilioſa ſaburra, quæ in his febribus incipientibus primas vias gravare ſolebat, dabantur decocta radicum aperientium cum melle, ſalibus & ſimilibus; febris ipſa hæc ingeſta remedia movens per omnia vaſa, ſolvebat feliciſſime viſcerum obſtructiones, & optime curabantur ægri, paucique admodum ex ingenti ægrorum numero perierunt. Hinc certe comprehendimus laudatam contra febres pertinaces quorundam remediorum efficaciam; aquæ exempli gratia frigidæ, qua ad plures libras qualibet die hauſta in quadragenario febre admodum contumace afflicto, quæ cortice peruviano gravius indies exaſperabatur, intra breve tempus perfectam curationem præſtitit cl. SENAC; (*l. c. L. III. c.* 8. *§.* 9) aquarum præſertim mineralium acidularum; (*ibid.*) ſalium alcalinorum, mediorum, præſertim ſalis ammoniaci, adeo a cl. MUYS, WERLHOF, LAUTTER, JACOBI celebrati, mercurii itidem, ſuccorumque vegetabilium, ſimiliumque aperiente & ſolvente vi præditorum remediorum, quæ quandoque, per longum tempus fruſtra adhibito cortice, brevi febres ſanarunt, vel corticis uſum irritum hactenus efficacem reddiderunt; & ubicunque cortex febres non tollit, ibi, licet etiam manifeſta ſigna non adeſſent, obſtructiones viſcerum fere ſemper ſuſpicandæ ſunt, quæ ſæpius latent, quam vulgo creditur, quarumque ſigna, quibus ſe produnt, non admodum certa & conſpicua ſunt; quare

præſertim autumno, quo tempore tam multa ad viſcerum obſtructiones producendas amice quaſi conſpirant, reſolventia viſceralia cortici fere ſemper præmittenda eſſe docent peritiſſimi Medici. (GRAINGER *Hiſt. febr. anom. Batav. p.* 119. GRANT *Beobacht. über d. Fieber. p.* 63.)

Sunt porro & aliæ cauſæ febrium periodicarum occaſionales, extra viſcerum abdominalium regionem poſitæ, ad quas in curatione iſtarum ſollicite attendere oportet. Non raro in juvenibus, plethoricis, poſt hæmorrhagias conſuetas naturales ſuppreſſas, vel artificiales ommiſſas, febres intermittentes occurrunt, in quibus iſta plethora adeo manifeſte febrim vel intendit, vel pertinaciorem reddit, ut nonniſi poſt redeuntes fluxus naturales, vel ſubſtitutas ſimiles artificiales evacuationes, remedio ſpecifico febris cedat; vel ubi ſaltem ex hac plethora & nimia inde in paroxyſmis producta ſanguinis rarefactione ſymptomata febrilia inſigniter augentur, ut niſi therapeutice, prophylactice tamen molem nimiam ſanguinis minuere neceſſe ſit. Sic cl. MADAI (*v. d. Wechſelfiebern. §.* 203.) mulierem lactationis tempore tertiana correptam, erumpentibus catameniis; militem quartanarium, ope hirudinum vaſis hæmorrhoidalibus admotarum; & RAYGERUS (*Schol. ad Spindleri obſ.* 43) alium quartanarium eodem remedio, ſanitatem recuperaſſe reſe-

ſerunt, licet antea omnium antiſebrilium, ipſius etiam corticis peruviani vires febris eluſerat; & FORESTUS (*L. III. obſ.* 2.) ægrum poſt tertianæ acceſſionem tertiam adeo vehementem, ut in paroxyſmo deliraret, in apyrexia phlebotome inſtituta, a febre perfecte liberatum vidit; ſæpe etiam in conſtitutionibus robuſtis præſertim hyeme & vernali tempore, ſanguis inflammatorius occurrit, reliquaque ſigna diatheſeos phlogiſticæ, validi capitis dolores, faciei rubor, pectoris oppreſſio, urina flammea, lingua arida, pulſus fortis & durus, inflammationes locales apparent; in quibus etiam in intervallis febris pulſus naturali celerior, artuum languor, ſenſuum obnubilatio remanet; ubi methodus antiphlogiſtica neceſſarie adhibenda eſt; qua neglecta hujus generis febres facillime ſuas acceſſiones nimis protrahunt, reduplicant, & tandem in continuas transeunt; (HUXHAM *Op. T. II. p.* 30. SENAC *L. III. C.* 5. *§.* 2. TISSOT *Anleit. f. d. Landv. §* 261) & corticis uſui adeo non cedunt, ut potius exaſperentur, niſi methodus antiphlogiſtica præmittatur, quæ licet ad febrim profligandam non ſufficiat, cauſam tamen occaſionalem removet, qua demum ſublata, ſpecifica antifebrilia virtutem ſuam ad prædisponentem cauſam auferendam exercere poſſunt. (MONRO *v. d. Feldkr. p.* 150. PRINGLE *l. c. p.* 215.) In aliis ipſa hæc diatheſis inflammatoria cum colluvie bilioſa juncta eſt, ubi eva-

cuantibus venæſectio præmittenda eſt, ut inflammationes locales prohibeantur, quæ hac neglecta facillime ſequuntur. (SAUVAGES. *Noſol. method. T. I. p.* 473.) Interdum præſertim tempore autumni, aëre humido & calido, putridis effluviis inquinato, putredinis humorum ſigna conſpiciuntur, & efficaciſſimorum antiſepticorum uſum expoſcunt. (MEDICUS *Beobacht. T. I. p.* 227. *ſq.* QUARIN *meth. med. febr. p.* 127.) Alias lentor humorum pituitoſus, uti in quibusdam quotidianis & quartanis, longiorem reſolventium & evacuantium uſum requirit. (SENAC *l. c. p.* 241.) Sæpe tranſpiratio ſuppreſſa acrimoniam humorum induxit, & febris cauſam occaſionalem conſtituit, ubi cortex nil juvat, niſi ſuppreſſa tranſpiratio prius reſtituta ſit; (STOERCK *Ann. Med. II. p.* 170) vel tandem materia quædam rheumatica, arthritica, podagrica, ſcorbutica, venerea, calculoſa, febri fomitem præbet, & antifebrilis remedii efficaciam inertem reddit, niſi illarum cacochymiarum antidota ipſi vel præmittantur, vel jungantur.

Fruſtra igitur ſunt, qui in febribus intermittentibus, in cortice peruviano uno ſemper & ubique fiduciam collocant, neglectis ceteris methodis & remediis febrifugis, aliisque, ſi quæ adſunt, indicationibus; qui abundant enim humores antea exterminandi, qui peccant corrigendi,

di, qui ſtagnant reſolvendi ſunt, & quæ aperiunt, præparant, coquunt, evacuant, pro indicatione morbi & periculi, cortici vel præmittenda vel adjungenda vel poſtponenda ſunt. Atque in eo ipſo recta illa & neceſſaria corporis ad uſum corticis præparatio conſiſtit, quam nunc accuratius determinare ſtudebimus.

Ubi itaque ad ægrum febre intermittente laborantem in ipſo febris paroxyſmo vocaremur, nihil quidem durante hoc febris impetu ad ipſius curationem moliemur; niſi quod ſymptomata a nimis vehementi ſanguinis orgaſmo, & verſus has illasve partes congeſtione, ſpaſticisque partium affectionibus oriunda mitigemus, paroxyſmi ſolutionem prudenter acceleremus, omnesque corporis vias, quas ſoluta febrilis materia affectat, optime diſponamus, ut commode & perfecte ipſis evacuari poſſit; remediis itaque temperantibus ſanguinis æſtum atque impetum minuamus; potu diluente tepido acidiuſculo ſitim fallamus, humores diluamus, vomitus levantes promoveamus, diaphoreſin ſuſtineamus; anodynis temperantibus ſpaſmorum vim leniamus; congeſtiones ad nobiliora viſcera, ſtaſesque in ipſis forſan productas, periculum minantes, clysmatibus, pediluviis, epiſpaſticis, veſicatoriis, venæſectionibus, ſimilibusve cum judicio applicatis, avertamus. Sic enim plerumque, attenuatis humoribus, laxatis-

que ſolidis, ſudor copioſe dimanans febrilem paroxyſmum feliciter judicabit.

Finito hac ratione paroxyſmo, accuratior ſtatus ægri cauſarumque morboſarum diſquiſitio facile docebunt, quænam nunc peragenda ſint; an ſtatim ad corticis uſum accedere liceat; an hæc vel illa remedia præmittenda ſint. Supra vidimus, præparationem corporis per evacuantia, aperientia, aliave remedia, non abſolute eſſe neceſſariam, ſed in ſobrie viventibus antea ſaniſſimis, vel in ægris ab aliis morbis, qui hujusmodi remedia deſiderabant, convaleſcentibus; & ubicunque nullum neque in ſolidis neque in fluidis partibus detegitur vitium, nulla cauſæ cujusdam materialis ſigna deprehenduntur, in totum prætermitti poſſe; non raro enim in hypochondriacis, hyſtericis, hujusmodi febres ſine omni materia a ſolo pathemate animi, terrore, nauſea, exoriuntur, nullo vitio in humoribus exiſtente, ſed ſola motuum anomalia peccante; quid vero hic prodeſſet evacuantium, omniumque amarorum & ſalinorum exhibitio, & cui bono paroxyſmorum iteratus reditus in ægris hisce pulchre antea valentibus ſibi permittendus eſſet, dum ſolum motuum vitium ſubſit, quod certe remediis iſtis adeo non tollitur, ut potius augeatur. Talibus ergo ægris, præceptis WERLHOFII ceterorumque ſupra laudatorum Medicorum inſiſtentes, corticem ſtatim

per

per ſe, ne addito quidem granulo alius medicaminis, niſi quod forſan ejus vim febrifugam intendere poſſet, tuto adhibebimus; ridentes conſilia aliorum, qui corticem ante 14 vel ante 25 diem non ingerendum eſſe, monent (BAGLIV *l. c.*); ſed ſymptomata potius, quam dierum numerum conſiderantes, non ſolliciti, utrum urina ſubſideat, an non, morbum etiam poſt ipſum primum paroxysmum ſpecifico remedio tollemus. Prandium ceperat cum amicis in horto ſub umbra arboris fœmina ſenſilioris animi, dumque cultro carnis aſſæ fruſtulum dividere vult, diſcindit, quæ foliis ex alto forte ceciderat, horridam aſpectu erucam, & adeo terrore & averſatione ejus commovebatur, ut altera die gravi paroxysmo febrili corriperetur, poſt unam intercalarem redeunte; protinus exhibebat cl. qui hæc narrat TRALLES (*de Opio. S. II. p.* 71.) ſingulis bihoriis corticem pauculasque guttulas laudani liquidi unicuique præbio addebat, eo effectu, ut febris non rediret, & plena ſanitas brevi reſtitueretur.

Cum vero pauciſſimi ſobrie adeo vivant, quin crudos multos humores, in canali præcipue alimentari collectos, ſecum ferant, lene ſaltem laxans corticis uſui præmiſiſſe, ſæpius proderit. Sic certe cl. GRAINGER (*Hiſt. febr. anom. p.* 99.) licet in aliis præparationem omnem ſæpiſſime &

 tuto

tuto neglexerit, in militibus tamen raro cum ſalute evacuantia omiſit, hi enim a ratione victus in caſtris, & a militiæ laboribus humorum ſaburram in primis viis colligunt; quare in exercitu praxin exercenti, nihil quam primas vias bene exonerare, maxime fervente æſtate, antiquius eſſe debere aſſerit. Ubi itaque victus ratio, cauſæ occaſionales prægreſſæ, oris ſapor amarus, linguæ ſordities. appetitus proſtratus, frequentes in ipſo paroxysmo materiæ bilioſæ pituitoſæ vomitus, flatus, hypochondriorum tenſio, colluviem vitioſam primarum viarum ſatis aperte oſtendunt, omnino evacuantia cortici præmittenda ſunt, ne ſordes iſtæ in corpore retentæ majorem acrimoniam contrahant, in ſanguinis circulum abſorbeantur, viſceribus impingantur, febris incrementum, viſcerum obſtructiones indeque graviora mala inducantur. (V. SWIETEN *T. II. p.* 54.) Cum vero iſta colluvies tenax interdum atque immobilis ſit, ita ut ſtatim adhibito evacuante exterminari penitus non poſſit, neceſſe eſt, ut antea emolliatur & ad evacuationem diſponatur, per remedia reſolventia digeſtiva pro varia materiæ morboſæ indole ſelecta. Sic oris amarities, lingua flavo & tenace muco obſeſſa, vomitus bilioſi, æſtus intenſior, ſitis major, urina flava, bilis tenacis abundantiam oſtendunt, cremore tartari, tamarindis, aliisque acidis ſalinis, emolliendam atque corrigendam; quibus ſi, uti

in

in febribus vernalibus intermittentibus id ſæpius contingit, pulſus durior, dolor capitis, laterum, hypochondriorum vehementior, reſpiratio difficilior, ſitis intenſior, urina magis rubra, complicatam diatheſin inflammatoriam ſuaderent, antiphlogiſtica, nitrum, oxymel, decocta ſolventia jungenda. Si vero pituita tenax primas vias occupat, quod ex pallido corporis habitu, urina pallida, vita ſedentaria prægreſſa, victu ex alimentis crudioribus, frigore & gravitate circa ventriculum, evomitorum qualitate patet, ſalibus mediis, tartaro vitriolato, arcano duplicato, ſale præſertim ammoniaco, polychreſto, ſimilibusque tenax pituita incidenda & ſolvenda; obſtructio alvi pertinax ſi adeſſet, niſi dictis mitioribus digeſtivis cederet, urgentibus tamen anxietatibus, capitis dolore abdominis tenſione, præſtabit clysmata adhibere, quæ non alvum ſolum emolliendo, ſed & ulterius ſordes ſolvendo & obſtructiones viſcerum reſerando utiliſſima ſunt.

Quodſi ſequens febris paroxysmus nullo ſudore finiatur; neque urina ſedimentum deponat, ſed cruda permaneat; ſordes linguæ inhærentes craſſæ atque tenaces adhuc ſint, neque alvus officio ſuo fungatur; indicium ſit, magis adhuc emolliendas ſordes, & digeſtivis remediis per ſequens febris intervallum continuandum eſſe. Ubi é contra horror paroxysmi mitior, æſtumque

largus ſudor excipit, urina copioſum ſedimentum deponit, alvus aperta, mucus linguæ inſidens mollior & ſeparatu facilior; nauſea vero, vomituritiones, borborygmi perſiſtunt, materiam morboſam ſatis ſolutam turgere & evacuationi aptam eſſe patet. Qua vero via optime evacuatio inſtituatur, ex notis materiæ ad ſuperiora vel inferiora turgentis ſignis facile eluceſcet. Nauſea enim, vomitus, oris amaror, tenebricoſa vertigo, ſtomachi dolor, emetica indicant; lumborum dolor, borborygmi, flatus, verſum alvum potius tendere ſaburram ſuadent. Plerique tamen in hiſce febribus curandis emetica purgantibus recte præferunt; (PITCARN *Elem. Phys.* LANGRISH *the modern Theorie and Practice of Phyſic. p.* 246) quæ non ſolum omne quod intus in ſtomacho hæret excutiunt, ſed & quod in imo ventre viſcidum & ſtagnans hæret, attenuant & in motum agunt, validioribus quos producunt concuſſubus oſcula vaſorum inteſtinalium abſorbentium & exhalantium reſerant, ſanguinis gyrum accelerant, partium ſolidarum motum intendunt, ſtagnantia movent, ſicque ſolvunt & expellunt plurima, quæ mitioribus purgantibus expediri nequeunt; unica enim emeſis ſæpe præſtat, quod non attigerant repetitæ alvi purgationes. (TISSOT, *de febre bil. in Opuſc. T. I. p.* 32) Neque ſolvendo ſolum & evacuando utilia ſunt, ſed & ſuo ſtimulo, quo in nervos per abdominalia viſcera

cera diſperſos agunt, ad ſenſorium commune propagato, mutare forſan, imminuere & delere poſſunt impreſſum illum morboſum characterem, quo paroxyſmi renovantur. Ad quem ſcopum præcipue reſpiciunt quidam, & mitiores emeticorum doſes repetitis vicibus præſcribunt, quæ non tam largas evacuationes producant, quam leniori ſuo ſtimulo nauſeam continuam & præternaturalem quandam in nervis commotionem, iſti quæ paroxyſmum producit, oppoſitam excitent. (HIRSCHEL *medicin. Nebenſtunden. p.* 20.) Præcipue vero febres vernales ob majorem bilis turgentis copiam emetica ſibi vindicant. Dedi in hisce, dicit cl. STOERCK (*Ann. Med. II. p.* 164) in principio remedia digerentia, diluentia, purgantia, nullum tamen inde effectum expertus ſum, nam manſerunt continuæ præcordiorum oppreſſiones, nauſeæ, & vomitus, & oris amaror, ſordities, & ructus amari, fœtidi, ovum putridum redolentes, quandoque ſpirantes acidum; ſæpiſſime unicum vomitorium febrem ſat violentam ſuſtulit, ita ut cortice peruviano opus non habuerim. Propinanda vero ſunt emetica tempore apyrexiæ a paroxyſmo remotiſſimo; licet enim proxime inſtante paroxyſmo data, ſecundum quorundam obſervationes, paroxyſmum quandoque tollant, vel breviorem & mitiorem reddant, cum hoc tempore admodum fluxilis & facile expellenda ſit materia morboſa, (GRAINGER

GER *l. c. p.* 85) tutius tamen remotius a paroxyſmo ſumuntur, cum inconſtantia temporis, quo febris ingruit, & quo remedium actionem ſuam abſolvit, metum injiciat, ne emetici actio cum ipſo paroxyſmo coincidat, nimiæque inde turbæ in corpore excitentur. Selectum vero emeticorum tum ipſa ægri idioſyncraſia, tum maxime materiæ evacuandæ qualitas docebunt. Sunt qui in intermittentibus radicem Ipecacuanhæ ceteris anteponunt, (GIANELLA *diſſ. de admir. Ipec. virt. in collect. Hall. Diſſ. pract. T. V. p.* 155), ſatis quidem efficacem, ſi materies bilioſa, acris, mobilis, ventriculus ſenſilior, alvusque fluidior cohibenda potius, quam ſtimulanda ſit; ubi vero materia morboſa craſſa tenax & infra evacuationem ſit, alvus nimis pigra, tunc ſufficiens cuneus non eſt, & alvum adſtringendo, ſitimque relinquendo magis nocet quam prodeſt, (TISSOT *de febr. bil. l. c. p.* 30) neque ſatis efficaciter evacuat, ſed potius ſordes ſanguini tradit, & ſequentes paroxyſmos longiores vehementioresque facit. (PRINGLE *v. d. Feldkrankh. n. a. p.* 247.) Melius igitur cum Tartaro emetico combinatur, vel hic ſolus præſcribitur, cujus vi toties varias febres continuas evaneſcere, intermittentium & remittentium acceſſiones ultra ſuos terminos evagatas ad typum redire, longioribus intervallis a ſe invicem recedere, cortici demum facilius cedere quotidie obſervamus; ſtrenuus enim eſt pri-

mæ

mæ culinæ expurgator, præcordiorum liberator, virium vitalium excitamentum atque præſidium, in ſpaſmis relaxandis, humoribus viſcidis ſolvendis & quoquoverſum ducendis nulli fero alio remedio ſecundum. (TODE *Diſſ. de dupl. febr. indole. Hafniæ,* 1769.) Si vero emeticorum uſus contraindicetur, vel iſta ſigna inferius ducendam eſſe colluviem docerent, & natura ipſa hoc medendi inſtitutum præmonſtret, purgantibus evacuatio peragenda; tamarindis, cremore tartari & ſimilibus, ſi major calor, ſitis intenſior, urina flava; ſalibus mediis, jalappa, ſcammonio, ſi pituitoſi humores expellendi. Præſtat quoque in multis cathartica cum emeticis combinare, uti enim ea emetica, quæ ſimul alvum ducunt, plenius ac melius paroxyſmum depellunt, ſic etiam juncta cum purgantibus utramque paginam luculentius abſolvunt. (GRAINGER *l. c. p.* 99.)

Sæpe hisce remediis ſolis febres mitiores reddi, atque absque corticis uſu tolli videmus. Si vero redeant, ſignis impuritatum primarum viarum adhuc apparentibus, neque tamen periculum ab ipſa febre immineat, digeſtivis atque evacuantibus remediis ulterius inſiſtendum eſt, antequam corticem adhibeamus, usque dum rediens naturalis linguæ color, ſapor, appetitus, ſomnus, indicent liberata onere ſuo digeſtionis organa, ſecretionesque viſcerum chylopoieticorum reſtitu-

tas

tas eſſe. Caveamus tamen, ne præter neceſſitatem nimis diu continuato evacuantium uſu, alvus nimis laxetur, organaque digeſtionis nimis labefactentur, quo vires ægri magis deprimerentur, cruditatum nova ſcaturigo aperiretur, febrisque in longum protraheretur. (SYDENHAM *l. c. p.* 117.) Ubi itaque alvus nimis laxa, viriumque, digeſtionis præſertim, debilitas evacuantium ulteriorem uſum prohibent, egregie ſal ammoniacum ipſis ſubſtituitur, antifebrile multis ſpecificum habitum, ſolvens digeſtivum egregium, quod tamen alvum non ſollicitat, ſed nimis laxam potius cohibet, innoxie quidem, cum ſolutas ſordes aliorſum ducat, & per urinæ vias eliminet. Hujus itaque uſu pergendum, donec aut eo ipſo febris tollatur, aut depuratis primis viis corticis uſus concedatur. Autumnales vero febres magis purgantia petunt, quam vernales.

Ubi colluvies verminoſa, uti in tertianis epidemicis quandoque contingit, deprehenditur, etiam hæc prius expurgari debet, antequam ſpecificum antifebrile adhibetur. Sic enim FORESTUS (*L. VII. Obſ.* 36.) quartanariam diu vexatam interaneorum infeſtorum expulſione ſanavit; & infans, cujus hiſtoriam tradit ANDRY (*De la generat. des Vers. p.* 89) fruſtra per tres menſes cortice peruviano uſus erat, nec febre, niſi quatuor lumbricis prægrandibus emiſſis, liberatus eſt.

Multos

Multos quoque vidit Cl. VAN DEN BOSCH ægros durante conſtitutione illa epidemica verminoſa febribus intermittentibus correptos, emiſſis vermibus perfecte judicatos; alios vero, in quibus febri proſpiciebatur ſoli, intactis vermibus, multo gravius diutiusque ægrotaſſe; ſæpe numero etiam in ejusmodi ægris de induſtria pericula fecit in febribus hisce ſolis antifebrilibus profligandis, perraro vero feliciter id ipſi evenit, multos vero, diu vexatos, ſolventibus atque expellentibus vermes brevi liberavit; immo ſæpius comperit, ſolum corticem peruvianum, quamdiu nido inhæreret animata potentia, vix vel nihil virtutis ſuæ anthelminticæ exſeruiſſe, ſin minus incidentia apta, aut purgantia ſtimulantia ipſi juncta fuiſſent. (*L. c. p.* 74. 164.)

Quod ſi in juvenibus & ſanguineis pulſus plenior, durior, reſpiratio difficilior obſervaretur, maxime ſi abuſus ſpirituoſorum febrim præceſſit, aut conſuetæ ſanguinis evacuationes intermiſſæ fuerunt, vena ſecanda eſt, præcipue in febribus vernalibus, quæ facile in inflammatorias mutantur; & ſi inflammationis viſceris cujusdam ſuſpicio adeſſet, decocta ſolventia cum acidis & purgantibus antiphlogiſticis imperanda; neque ad corticis uſum progrediendum, usque dum plethora & ſtaſes inflammatoriæ ſublatæ ſint, niſi forſan, uti infra videbimus, inflammationes ipſius

febris

febris progenies ſint. Non raro etiam, præcipue in autumno, febres intermittentes ſimilia ſymptomata habent, ac febris putrida; in quibus acida mineralia ſalibus mediis juncta adhibenda ſunt. (QUARIN *l. c. p.* 127.)

Inprimis vero ſollicite, præſertim in intermittentibus quartanis inquirendum eſt, annon adſint viſcerum obſtructiones; quod ſuſpicamur, ubi urina flava, ſubflaveſcens oculorum color apparent, hypochondria tenſa maxime in regione dextra cum dolore fixo obtuſo ejusdem lateris, alvus parcior, fœces pallidiores lutaceæ ſunt, appetitus poſt evacuantium uſum non redit. His ſignis præſentibus ſolventia viſceralia cortici præmittere & tamdiu continuare oportet, donec hypochondria mollia, melior faciei color, alvus magis naturalis, urina magis pellucida, rediens appetitus & digeſtionis facilitas, reſerata viſcera, liberioremque humorum per vaſa abdominis circulum reſtitutum eſſe doceant. Peſſima enim mala ex nimis præmature hic adhibito corticis uſu quandoque oriri ſupra vidimus. Succi igitur & decocta radicum & herbarum aperientium cum ſalibus mediis nupta, vel ubi ventriculus a ſalibus offenditur, ægrique nimis debiles ſunt, extracta amaricantia cum gummi ferulaceis, ſaponibus mixta, apyrexiæ tempore ſedulo propinanda, inunctiones ex unguentis emollientibus &

em-

emplaſtra reſolventia hypochondriis tumidis & duris applicanda ſunt, hisce per aliquot dies uſurpatis laxantia, quæ ſolutam viſceribus antea impactam materiam educunt, interponenda; probe tamen cavendo a fortioribus draſticis, quæ corpus debilitant, ſubtiliſſimis humoribus privant, & jam impactum fere irreſolubile reddunt.

Raro vero, præſertim autumnales & quartanæ, dictis remediis digeſtivis, evacuantibus, aperientibus ſolis cedunt; ſed, licet paroxyſmi breviores & leviores redditi ſint, pertinaciter tamen redeunt, quin quandoque ſequentes paroxyſmi exacerbari potius videantur; quaſi natura, ſordium copia antea oppreſſa, nunc liberius agens collectis & renovatis viribus occultum illud irritamentum oppugnare conaretur. (HIRSCHEL *l. c. p.* 27.) Atque tunc, cum omnes febris cauſæ materiales remotæ ſint, tuto ad corticis uſum accedimus, ne febris diutius protracta vires magis debilitet, atque denuo viſcerum functiones perturbando, novam cacochymiam & obſtructiones inducat. Eadem ratione, ſi præſentibus obſtructorum viſcerum ſignis, adhibitis licet & continuatis optimis ſolventibus, febris tamen dictis remediis non cedat, ſed potius pertinacior reddatur, & ob hanc febris violentiam ægri indies magis debilitentur, & humores acriores reddantur, tunc neceſſario, non obſtantibus ob-

 ſtruc-

ſtructionibus, cortex exhiberi debet; non minores enim morbi a nimis protractis hiſce febribus extimeſcendi ſunt, ac a nimis cito ſublatis, icterus nimirum, cachexia, hydrops; binis vero vero hoſtibus citius occumbit æger, quam uni, & una obſtructionum cauſa ſublata, facilius ceteræ ſuperari poterunt; tollemus itaque febrim, ut poſtea fortius in obſtructa loca agere liceat. (STOERCK *Ann. Med. I. p.* 81. QUARIN *l. c. p.* 103. CLEGHORN *l. c. p.* 223.) Quid quod quandoque cortex, febrim virtute febrifuga tollens, ſimul ſua reſtaurante facultate ſyſtema bilioſum ita emendet, ut remediis ſolventibus æger poſtmodum non habeat opus. Unicum hujus rei exemplum proferre liceat, quod narrat DE HAEN, febris quotidianæ pertinacis, viſcerum atque potiſſimum jecinoris obſtructionibus ſtipatæ, contra quam quatuor prope ſeptimanas decocta ſolventiſſima fruſtra adhibebantur, cum vero virium appetitusque notabile decrementum, nocturni ſudores, inſomnia, inquietudines, indies augebantur, juſtusque metus oriebatur, ne tandem hæc febris tum corpori noxia foret, tum morbos inferret alios, cortice ſiſtebatur; ſtupenda vero erat, quæ a primo die aſſumti corticis obſervabatur mutatio, mox enim vires exſurgebant, redibat appetitus, animus erigebatur, bona alvus, bonæ urinæ, eæque pulcre hypoſtaticæ, comparebant, pertinax ſubictericus

cus color ſenſim diſparebat, intra decem dies plane aberat, & perfecta ſanitas brevi redibat. Quis dubitaret, non merum, non ſimplicem, non cauſa materiali carentem, morbum fuiſſe, ſed vitio viſcerum junctum, quod quidem primo virtute ſolventium forſan emendatum, demum vero penitus vi reſtaurante corticis devictum eſt. (*Rat. med. P. XI. p.* 23.)

Quod nunc modum attinet, quo cortex contra febres adhiberi debet, ad remedii præparationem, miſcelam, doſin, & tempus exhibendi, attendendum præcipue eſt. Quod ad modum præparandi corticem ſpectat, ſchedula quidem romana corticem pulveriſatum in unciis quatuor vini albi generoſi propinandum præſcribebat; quam formulam medici diu religioſe obſervarunt; hodie vero hunc pulverem quacunque forma, hauſtus, ſyrupi, electuarii, boli. eodem cum effectu præſcribunt, licet omnino forma tenuioris hauſtus reliquis præferenda ſit. Vinoſo vehiculo ſecundum ſchedulæ præſcriptionem utebatur SYDENHAM (*l. c. p.* 383.) neque unquam damni aliquid inde eveniſſe obſervavit; quem & ſecuti ſunt SENAC (*L. IV. c.* 5.) & PRINGLE (*l. c. p.* 244.), qui unciam corticis unam vini albi optimi libra una infundendam, & hanc mixturam ſequenti die partibus vicibus ægro propinandam jubent; etiam cl. GRAIN-

GER non ſolum cum vino corticem propinat, ſed & quandoque apyrexiæ tempore vini albi hiſpanici, cum ſtomachicis aliquando mixti, cyathum unum aut alterum quotidie permittit, & mirabilem effectum, ſemper in pauperibus & qui illi non aſſuefacti ſunt, vel militibus ſpiritibus ardentibus antea multum deditis, inde ſe obſervaſſe teſtatur. Corticem vero in ſubſtantia datum omnibus inde præparatis infuſis, decoctis, tincturis, extractis, anteponendum eſſe, ſupra notavimus; cum nullum præparatorum cuſtodiat id omne, quod remedio proprium eſt, (MORTON *Op. T. II. p.* 98. TRALLES *de Opio. T. I. p.* 304.) ſed pleraque in experimentis cum ſtudio inſtitutis ſpem fruſtrata ſint, ubi tamen pulvis certam præſtabat efficaciam. (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 124. GRAINGER *l. c. p.* 130.) Commendandus itaque, quem ad finem usque vitæ ſervavit cl. WERLHOF, mos exhibendi corticem in ſubſtantia adverſus intermittentes & remittentes quascunque, ea ratione, ut drachmam dimidiam cum ſacchari granis duodecim & cinnamomi grano dimidio mixtam, repetitis quoad morbus requirebat vicibus, ægris exhiberet, (*l. c. p.* 191.) quale aromatis connubium non ſolum palato placet, ſed quoque ad faciliorem corticis digeſtionem confert. (PERCIVAL *l. c.*) Cætera præter vehiculum & dicta corticis additamenta omnia ſuperflua ſunt; cum nullum detur medicamen-

tum,

tum, quod vim febrifugam æque certo & celeriter præſtet, nullum itaque corticis efficaciam intendere valeat, niſi quatenus impedimenta in corpore adſint, quæ corticis viribus reſiſtant, per additum aliud remedium removenda; ubi vero talia non adſunt, ſuperflua ſunt, quæcunque ipſi miſcentur.

Sunt quidem, qui purgantia leniora cortici admiſcenda eſſe docent, ne alvum ſtringat, variaque inde incommoda oriantur. Eſt quidem verum, quod ſub corticis uſu alvus in quibusdam ſtringatur, quod apud Italos jam TORTI obſervavit; (*l. c. L. I. c.* 10.) vel difficilius digeſtus diutius in ventriculo moretur, & ſenſum ponderis oppreſſionisque circa hanc regionem excitet, (QUARIN *l. c. p.* 130.) & interdum poſt plures demum dies omnino indigeſtus evomatur. (CULLEN *Lectures on the mat. med.* BOUSQUET *l. c. p.* 34. 44) Hinc LANCISIUS corticem cum rhabarbaro miſcuit, proſperumque ſemper inde expertus eſt exitum; (*L. II. Epid. IV. c. 6.*) & longa experientia ſe doctum eſſe teſtatur MEAD, (*Mon. & præc. med. §. VIII. §. I.*) neceſſe plane eſſe, exiguam portionem rhabarbari remedio huic admiſcere, ea ſcilicet ratione, ut alvus bis ſaltem quotidie dejiciatur, neque unquam virtutem illius hoc modo fractam, ſed feliciter potius auctam fuiſſe ſe animadvertiſſe; quod & affirmant VAL-

CARENGHI (*Diſſ. de uſu & abuſu Rhab. Cort. uniti. Cremae.* 1748.) DECKER (*Exercit. pract. p.* 251.) LAUTTER (*Hiſt. bienn. morb. rur. p.* 18.) PRINGLE (*l. c. p.* 244.) GRANT; (*Beobacht. p.* 93.) cautionem tamen adhibentes, ut libera tantum, non fluxa alvus producatur; quod quidem optime rheum præſtat, quippe ſimul vi ſua roborante inteſtinorum tonum, a febre languentem, inſtauret. (TRALLES *l. c. T. II p.* 71.) LANGRISH (*l. c.*) Alii alia purgantia ſimili ſucceſſu cortici admiſcent; ſic COLINY (*Tract. de febr. interm. §.* 49.) ex drachma agarici cum china chinæ tantundem mixta febres intermittentes, vernales præſertim, plurimas evanuiſſe vidit; & SENAC (*l. c.*) teſtatur ſe ipſum innumeris hominibus cum ſucceſſu dediſſe, præſertim contra quartanam, remedium ex pulvere cornachini, agarici, ſale ammoniaco & cortice peruviano paratum; cl. GAUBIUS unciæ corticis binas ſalis polychreſti drachmas addere jubet; (*de formul. p.* 78.) etiam cl. QUARIN cortici ſalia media jungit, niſi alvus admodum liquida ſit. (*l. c p.* 130.) Alii medici vero, SYDENHAMI præceptis inſiſtentes, qui fructus corticis exſpectatos perire dicit, ſi æger ſub ejus uſu lubricitate alvi vel vera diarrhœa laboret, (*l. c. p.* 382.) hanc purgantium cum cortice miſcelam damnant; & omnino, ſi ante corticis uſum primæ viæ præmiſſis digeſtivis & evacuantibus ſufficienter repur-

purgatæ, cauſæque materiales in illis contentæ jam exterminatæ fuerint, non videmus, cur opus ſit cortici evacuantia addere, cum prædiſponens illa & cortice nunc aggredienda cauſa evacuantibus tolli nequeat. Alvi vero adſtrictionem, quam timent aliqui, vix ac ne vix quidem ſubtili ſua tonica virtute inducere aptus eſt cortex, ac vinum rubellum, moderate in potum ordinarium tot populis cedens, (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 80.) ſed potius alvum ſponte aperit, & eo facilius quidem, quo melioris eſt notæ. (ROSENSTEIN *v. Kinderkr. p.* 300.) Ubi itaque alvus juxta corticis uſum naturalis, vel etiam paulo tardior, nulla vero inde incommoda oriuntur, melius cortice ſolo utimur. Si vero alvus adeo adſtricta ſit, ut ægri vix ſcibala excernere valeant, flatus, anxietates, pondus ad regionem ventriculi, dolor capitis, aliaque manifeſte ex obſtipatione alvi oriunda incommoda appareant, tunc eccoprotica cortici adjungere conducet; (GRAINGER *l. c. p.* 130.) uti enim alvus nimis fluida irritum corticis uſum reddit, ſic etiam alvi obſtructio non ad ea pertinet, quæ operationem feliciorem corticis promovent. Dein non raro contingit, quod corticis uſus acceleratus indicetur, neque tempus ad evacuantium uſum conceſſum ſufficiens ſit, ad impuritates primarum viarum ante ejus uſum ſufficienter expurgandas; qui caſus præſertim in pernicioſis illis febribus

 fre-

frequens eſt, ubi ſecundum LAUTTER (*l. c.*) CLEGHORN (*l. c. p.* 214.) MONRO (*v. d. Feldkr. p.* 152.) obſervationes optime purgantia cum cortice junguntur, non tam, ut ipſius corticis virtuti quidquam conferant, quam quod coindicata ſint, ut per utrorumque connubium tum proegumena tum materialis ſuperſtes febris cauſa uno eodemque tempore oppugnetur.

Reſpectu quantitatis Corticis ad febres intermittentes abigendas efficacis, eam variam dictitant. Schedula Romana doſin drachmarum duarum adultis præſcribit; hodie vero, cum cortex ſæpe adulterinus ſit, vix infantum ac puerulorum febribus fugandis hanc portionem ſufficere, ſed ad plures interdum uncias aſcendendum eſſe, MORTONUS jam querebatur. (*Op. T. II. p.* 96.) Differt autem quantitas neceſſaria pro vario febris genio; SYDENHAM (*l c. p.* 113.) pulveris corticis unciam ad quartanæ curam exigit; ad reliquas intermittentes drachmas ſex ſufficere affirmat. Duas uncias plerisque pro curatione integra ſufficere, & in his cancellis apta diſtributione manendum eſſe docet TORTI; (*l. c. p.* 212.) in quotidiana ſex drachmas, in tertiana unciam, in quartana unciam unam ſemis exhibendam eſſe QUARIN; (*l. c. p.* 130.) quotidianam duas drachmas, tertianam unciam dimidiam, quartanam unam requirere, ALSTON (*Mat. med. Lect.* 49.)

49.) volunt. Cl. GRANT vero etiam in ordinariis tertianis minori quam unciæ unius quantitati non fidendum eſſe monet. Generatim quantitas corticis pro debellanda febre conſumendi definiri nequit. Uti enim reliqua remedia, ſic etiam cortex, tantum relative agit, & ſæpe ejus major quandoque minor requiritur doſis, morbi & ægrorum viribus ſemper accomodanda; drachma nonnunquam, uncia ſæpius, febris curatur; libras tamen præſcribere, ſi nulla alia ſalutis via, tutum eſt. (GRAINGER *l. c. p.* 129.) Neque opus eſt, doſin adeo ſcrupuloſe limitare, cum conſtet, corticem ex ſua indole nihil periculi habere, & immodice etiam & inutili copia imprudenter, ſine ulla tamen corporis noxa devorari, & profecto noxam majorem in hominibus ſanis & febrientibus, ex pane & potu ad nimias libras ingurgitato. quam ex cortice ſenſim intra plures dies ad uncias plures devorato, timendam eſſe; (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 204. V. SWIETEN *l. c.* §. 767.) & uti una quantitas certa materiæ & motuum, & velocitatis & periculi febrium, in diverſiſſimis ægris ſtabiliri nequit; ſic etiam neceſſaria remedii proportio tum ex caſuum analogia, tum maxime ex ipſa euphoria eluceſcit, & ex ſumma illa indicatione, quæ a juvamine, vel eveniente vel ſecus, uti in cujusvis morbi, ſic etiam in hujus curatione, deſumenda eſt; & uti nullus ſagax Medicus abſor-

bentium, reſolventium, purgantium, diuretiorum, utendorum modum univerſalem præſcriberet, & eorum doſin & continuandi tempus omnibus morbis, & in omnibus ſubjectis ubique pariter præſtitueret; ſic etiam corticis non quantitas, ſed præſcripti efficacia in febribus debellandis reputanda eſt; nullusque alius continuando remedio limes ponendus, quam ipſa euphoria, & ſymptomatum febrilium integra ceſſatio, quousque magis magisque continuato remedii uſu obtineri poteſt; ſive nunc duabus, ſive decem, ſive viginti, ſive pluribus drachmis remedii ſenſim dandis opus ſit, modo morbum expugnet, ſanitatemque reſtituat; & ſemper minus peccant, qui plus quam opus eſt, quam qui nimis parvam corticis quantitatem præſcribunt; hi enim, ſi ea utantur fortuna, ut adæquatam iſti ſuæ doſi, vel paulo inferiorem febrim inveniant, votis quidem potiuntur; ſin vero minus, iis malis quibuscunque ægrum expoſitum relinquunt, quibus, ab omni inde antiquitate, homines febricitantes, naturæ vel artis imperfecta ope uſi, expoſiti fuerunt; nempe ut vel ingraveſcant ſymptomata, gravioresque moleſtias, aut pericula aucta minentur, vel lento ſemitectoque igne corporis ædificium adurant, vel in apertam denuo flammam recidiva erumpant. (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 204. *T. II. p.* 381.) Quæ etiam ratio eſt, cur maximi in arte viri, ut eo certius febres

febres tollantur, maximas corticis doſes præſcribendas ſuaſerint. Sic cl. PRINGLE (*l. c. p.* 249.) optimam recidivas prævertendi methodum in eo ponit, ut ægris initio ſtatim, dum corticis uſum inchoaſſent, continenter unciæ quatuor aut quinque ſpatio hebdomadis unius propinentur. Generatim tamen notandum, eas febres minori corticis quantitate ablegari ſemper, ubi evacuationes debitæ prægreſſæ ſunt; (GRAINGER *l. c. p.* 129.) porro, febres intermittentes ſive ſponte ſua, ſive regimine calido ad continuitatem accedentes, majorem corticis copiam requirere; (QUARIN *l. c. p.* 131.) eo majorem quantitatem, & diutius continuatum remedii uſum expoſci, quo diutius febris jam duraverit, vel quo ſæpius recidiva facta ſit, præſertim ſi autumnalis fuerit; quo enim diutius character intermittentium corpori inhæſit, eo difficilius deletur (V. SWIETEN *T. II. p.* 539.); majorem tandem plerumque copia opus eſſe in regionibus humidis quam in ſiccis; & in eadem regione tempeſtate humida quam ſicca. (GRANT *p.* 94.)

Quum vero exploratum ſit, tunc maximam vim remedium habere, ubi in motu evidente, vel proximo ad motum molimine, conſtituta materies febrilis eſt, hinc factum eſt, quod quidam corticem ita adminiſtrandum eſſe docuerint, ut una majuſcula doſi drachmæ unius vel duarum

duarum ante unum aut aliquot paroxyſmos exhibita febris ſuperetur; quæ etiam ſchedulæ romanæ præſcriptio erat; quamque merhodum ſequuti fere omnes, antequam iſta TABORII innoteſceret; commendata etiam a LISTERO (*l. c. p.*. 55) DOLÆO (*encyclop. med. p.* 185.) CULLEN (*Firſt lines of the Practice of Phyſic. p.* 174.) FRIBORG (*Diſſ. de uſu cort. Per. Haf.* 1775. *p.* 19.) Cum vero iſta doſis ad febrem ſupprimendam ſufficiens ſæpe non ſit; ex ſemiſopito vero morbo, materia febrile imperfecte repreſſa, maxima mala ſæpe oriantur, melius ab hac ante acceſſionem medendi ratione abſtinemus; & ſi forſitan in febribus longis & pertinacionibus, & ubi ventriculus ſatis promte digerit, ordo acceſſionum ſimplex ſit & regularis, congeſtionum circa viſcera ſigna abſint, & naturæ vires paroxyſmo prima forte doſi exacerbando pares conſtent, alia medela quavis irrita, hac methodo uti liceat, ſemper tamen proportionem doſeos ad paroxyſmi impetum adæquate moderanda, ut ſuperior potius illo ſit, quam inferior. (WERLHOF *T. I. p.* 125.) Multo minus ingruente paroxyſmo vel ſub ipſo paroxyſmo corticem propinamus, quaſi turgens hoc tempore materia viribus medicinæ maxime expoſita eſſet; facit enim, quo minus materia morbifica ipſa naturæ methodo, paroxyſmi ſcilicet impetu, poſſit eliminari, quæ proinde præter fas incluſa ægrum in

vitæ

vitæ diſcrimen ſolet conjicere; (SYDENHAM *l. c. p.* 380.) ita ut etiam ſub ipſo paroxyſmo ægri apoplectici exinde occubuiſſe viſi fuerint. (WESTPHAL *Diſſ. de C. P. Gryphsvv.* 1763. *p.* 30.) Non deſunt quidem exempla, quæ ſecure corticem etiam in ipſa acceſſione febris dari poſſe demonſtrant; ſic TORTI (*l. c. p.* 453.) in ipſo frigoris & tremoris initio centies ac centies vidit a Præceptore ſuo FRASSONO exhiberi corticem, illumque & ipſe centies ac centies primis temporibus exhibuit eodem modo in benignis intermittentibus, ſemper feliciter ac ſemper innoxie. Aſt ubi ſubitum periculum timendum non eſt, & morbum vel faciliorem fore, vel chronica ſua indole lentam magis medelam probe toleraturum, ſperare licet; tutius erit exeunte & in intermiſſionem terminato paroxyſmo primum præbium miniſtrare, & per aliquot deinde horarum intervalla, dimidium vel integrum ſcrupulum, aut dimidiam integramve drachmam, aut quantum decocti, infuſi, extracti, par fere virtute ſit, pro morbi, ætatis & corporis ratione, repetere; ſic enim doſis doſin ſenſim digeſta roborat, ſanguinis maſſa paulatim tutoque ſalutifera corticis virtute inficitur, & plus temporis remedio conceditur, quo ſuum opus plenius abſolvat, & non minus certe quam tuto morbus debelletur, modo proportio & euphoria attendatur, atque eo usque remedium continuetur, quo ſymptomata

mata magis magisque ceſſantia indicant, licet nunc una pluresue unciæ ſenſim abſumantur. Præſertim vero lentior hæc curatio in febribus chronicis, obſtructionibus viſcerum & cacochymia ſtipatis, commendanda, in quibus, niſi ſenſim per epicraſin cortice utamur, ſed magno pondere motus evidentes opprimamus, vel fructu optato deſtituimur, quia materiam profundius hærentem haud ſatis attingimus, vel damna corpori inducimus, a materiæ ejus imperfecte repreſſæ, & turbatæ naturæ erroribus; qui niſi in febrim recidivam juſtam & regularem tandem evadant, aliis quibusque malis, quorum ſatellitio febres male curatæ ſtipantur, corpus mulctare queunt. (SYDENHAM *l. c. p.* 380. WERLHOF *l. c. T. II. p.* 380. GRAINGER *l. c. p.* 128.)

Quo breviora vero paroxyſmorum intervalla, eo frequentiores & majores doſes requiruntur. Sic in febribus, quarum paroxyſmi adeo protracti, ut apyrexia breviſſima, & continuæ futuræ metus ſit, ſtatim ad finem paroxyſmi, ubi maximus calor tranſiit, cortex ſumendus; (QUARIN *l. c. p.* 131.) & ſi intervallum breviſſimum, omni quadrante horæ doſis propinanda. (TODE *Med. Bibl. I. B.* 3. *ſt. p.* 161. LIND *l. c. p.* 290.) Sic quoque SYDENHAMUS (*l. c p.* 379.), ubi febres productis paroxyſmis indolem con-

continuarum æmulabantur, ita ut tantum remiſſio, non vero intermiſſio perfecta obſervaretur, tempore remiſſionis, quam proxime a paroxyſmo deſinente, incepit dare hoc remedium, & deinde quarta quaque hora ſic pergebat, ne quidem ipſum paroxyſmum morans; quia non dabatur aliud tempus, ut debita corticis copia ingeri poſſet. Si vero apyrexia longior, perfectaque intermiſſio obſervetur, præſtat plenariam intermiſſionem exſpectare, & tunc demum corticis debitam quantitatem diviſis doſibus ſic præſcibere, ut æquali temporis intervallo ſingulis doſibus exhibitis, omnis ejus copia exhibita ſit, antequam ſequens paroxyſmus exſpectatur. Sic SYDENHAMUS (*l. c. p.* 381.) ad quartanam curandam binis diebus intercalaribus dabat omni quadrihorio doſin corticis, adeoque unciam ejus in duodecim partes æquales dividebat.

Diætam quod attinet, juxta corticis uſum obſervandam, illam quidem non adeo exactam requiri obſervavit SYDENHAMUS (*l. c. p.* 186.) eupeptos tamen & euchymos cibos merito commendavit; quia per febrim prægreſſam debiliores ægri difficilioris digeſtionis edulia non ferunt absque noxa, & recidivæ periculo, cum ſopitus ille character tam facile excitetur denuo; fructibus igitur horæis & liquoribus frigidis abſtinere juſſit, vini vero uſum modicum non tantum conceſſit,

verum etiam commendavit; & peſſime certe nocent, qui ſevera abſtinentia febres tollere volunt; cum vires nimium frangantur, corpus exhauriatur, & humores acriores reddantur. (QUARIN *l. c. p.* 138.) Cavendum interim eſt, ne, cum ſæpe admodum famelici ſint ægri, ſimul & ſemel nimiam ciborum copiam ingurgitent, ſed parca copia ſimul, & repetitis vicibus ſumant. (VAN SWIETEN *l. c. p.* 570) Quoad regimen, exercitia moderata omnino proſunt tempore apyrexiæ ad aſſimilationem ingeſtorum, & excretiones per alvum, urinam, tranſpirationem promovendas. Caveant tamen a tranſpiratione ſuppreſſa; hinc corpus bene tegendum, aer nocturnus evitandus, & loca paludoſa fugienda. (ibid. *p.* 535.) Quinimmo ſchedula romana præcipiebat, ut ægri illico a poculo febrifugo propinato protinus lectum petant, inibique ſtragulis coöperti maneant; quod vero præceptum recte damnabat SYDENHAMUS, quipqe hac ratione febres vel protrahantur, vel ſi remittentes tantummodo ſint, in continuas mutentur (*l. c. p.* 467.); & longa experientia docuit MORTONUM, (*Op T. II. p.* 101.) corticem in aere aprico libero verſantibus, atque ſolitis muniis fungentibus propinatum, ſcopum certius attingere, quam ſi æger intra lecti cancellos incarceretur. Hæc forſan ratio eſt, cur in Monialibus intra ſua clauſtra concluſis; in nobilibus in otio urbano cum victus lautitia degen-

degentibus, minus ſalubrem Chinæ Chinæ uſum (RAMAZZINI *Oper. p.* 125.); efficaciorem vero in agricolis & laborioſis (DARLUC *Journal de Med. T. XVI.*) obſervaverint; cur etiam in exercitu equites citius quam pedites convaluerint. (GRAINGER *l. c. p.* 130.)

Quodſi ſecundum dictas regulas cortex tempore apyrexiæ propinatus fuerit, ſequens paroxyſmus plerumque emanebit, ita ut, qua febris redire ſolebat hora, nil plane incommodi æger ſentiat; certo indicio, febrim cortice penitus ſuperatam eſſe; tunc tamen a cortice nondum deſiſtendum, ſed ejus uſus adhuc per binos dies, quibus febris accedere ſolebat, diesque intercalares continuandus eſt; uſque dum nimirum priſtina corporis alacritas, appetitus, ſomnus, viresque perfecte in ſanitatis normam redierint. Quodſi ægris, febribus diuturnioribus vexatis, febre fugata vires præſertim digeſtionis multum languerent, his præter victum eupeptum, vinaque generoſiora, motumque corporis, medicamenta amaricantia, aromatica, martialia proderunt.

Contingit tamen, licet omnia recte fiant, ſequentem paroxysmum ſtata hora & majore quidem vehementia redire; ita ut, quæ antea lenes, & interdum ſola laſſitudine, oſcitatione, pandiculatione, artuum tenſione, moleſtæ erant acceſ-

I ſiones,

ſiones, nunc valde vehementes invadant, & per corticem potius reſuſcitatas quam ſuppreſſas crederes, id quod inexpertos valde abſterret. (WERLHOF *T.* I. *p.* 219.) Id vero tunc accidere ſolet, ſi doſes corticis nimis refractæ, neque febri penitus exſtinguendæ pares, datæ fuerint. Eadem enim eſt hujus remedii quam aliorum antifebrilium natura, ut, ubi impar ſubigendæ febri ſuerit, proximus paroxysmus, acta quaſi magis in motum materia, aliquanto potius fortiorem, quam mitiorem præſtet; eodem modo etiam in febribus remittentibus poſt uſum corticis ſequentem exacerbationem aliquando fortiorem, (SARCONE *Geſchichte d. Krankh. Th.* 3. *p.* 198. SIMS's *Bemerkungen. p.* 142.) in febre hectica ſudores, in rheumatica dolores ſequentis exacerbationis vehementiores redditos; (SIMS's *l. c. p.* 49.) quin & poſt emeticonem uſum ſequentes febris paroxysmos fortiores redditos (COLOMBIER *Med. milit. P. III. p.* 88.) obſervarunt. Vehementior itaque febris poſt corticis uſum acceſſio ab ulteriori ejus continuatione abſterrere non debet, ſed, modo debitis doſibus poſt finem paroxysmi continuetur, ultimum hunc fuiſſe, neque febrim redituram, ægris certo promittere licet. (CLEGHORN *l. c. p.* 209.)

Ubi febres anomalæ ſunt, & nullo obſervato ordine mox anticipant, mox poſtponunt, melius omnino

omnino eſt, a corticis uſu abſtinere, usque dum ad certiorem typum febris redacta ſit; quod præſente plethora, vel inflamatorio ſanguinis orgasmo, repetito temperantium antiphlogiſticorum, veneſectionis, (HILLARY *on the ſmallpox p.* 10.) apparentibus vero primarum viarum ſordibus, continuato digeſtivorum leniorumque evacuantium uſu, plerumque continget. Recte enim obſervavit HUXHAM, (*Oper. T. I. p.* 261.) intermittentes anomalas typum multo magis regularem ſervare poſt leniorem alvi fluxum, ſive arte, ſive ſponte productum. In hyſtericis tamen quandoque talis febrium anomalia occurrit, ita ut incertis temporibus invadant, & ex leviſſimis cauſis, terrore, aliove animi affectu, extra conſuetum paroxysmorum ordinem excitentur; in his vero evacuantium uſus adeo non prodeſſet, ſed potius nimiam illam nervorum mobilitatem, a qua febris anomalia pendet, peſſime augerent; antiſpasmodicis potius nimia ſenſibilitas ſyſtematis nervoſi ſopienda, quibus fit, ut febris regularem typum iterum induat, atque nunc cortice peruviano facile tolli poſſit; quale febris anomalæ, nunc tertio, quarto, nunc ſingulis diebus hyſtericam fœminam vexantis exemplum adducit PICQUE, adverſus quam quævis celebrata antifebrilia, quin ipſe cortex, fruſtra adhibita erant, usque dum in uſum vocatis efficacioribus antiſpasmodicis, febris in tertianam regularem mutaretur, quo

ſacto paucis diebus cortici cedebat. (*Journ. de med. T. XLII. p.* 430. *ſqq.*)

Interdum juxta corticis uſum febris quidem periodum ſuam mutat, ita ut e. gr. ex quartana in tertianam tranſeat, integre tamen non tollatur; quo in caſu fere ſemper cauſa quædam materialis in corpore reſtans ſuſpicanda eſt, qua ſublata tandem etiam febris vel ſponte evaneſcit, vel cortice feliciter ſuperatur; exemplo ægri, per triennium intermittente febre vexati, contra quam quæcunque antifebrilia nihil efficiebant, niſi quod interdum per plures vel dies vel ſeptimanas ſileret, poſtea vero eadem vehementia mutato quidem typo rediret, attenuantibus, aperientibus atque evacuantibus remediis tandem ſublata. (*Journ. d. medec. l. c.*)

In febribus duplicatis, mitiores intermixti paroxyſmi antea tollendi, & in ſimplices reducendæ febres ſunt, antequam cortex adhibeatur. Latet vero cauſa talis febrium duplicationis plerumque aut in diatheſi ſanguinis inflammatoria, aut in colluvie bilioſa primarum viarum; hinc priore caſu ope temperantium antiphlogiſticorum; in altero per evacuantia, inter vehementiorem & mitiorem paroxysmum propinata, facile ſequens mitior tolli, & compoſita febris in ſimplicem mutari poteſt. (GRANT *l. c. p.* 79.) Quibus neglectis & nimis mature adhibito cortice, febris aut

aut in continuam abit, aut viſcerum obſtructiones relinquit. (HILLARY *Obſervations on the changes &c. p.* 25.) Ubi vero illis incaſſum præmiſſis, febris duplicata adhuc pergeret, nullaque contraindicantia corticis uſum vetarent, hic ita adhibendus, ut ſtatim finito vehementiore paroxyſmo æger ejus uſum incipiat; ſic enim ſequens debilior primo, dein continuato remedii uſu etiam vehementior feliciter vincitur. Sufficiunt vero plerumque ſex corticis drachmæ ad tollendum mitiorem; poſt decem drachmas adhibitas uterque evaneſcit. (GRANT *l. c. p* 93.) Eædem regulæ obſervandæ ſunt in febribus ex pluribus multiplicatis.

Hiſce remediis ſuperato morbo, a cortice tamen nondum abſtinendum eſt, aliter morbus, præſertim ſi epidemicus & autumnalis fuerit, indubitate recrudeſcet. Nullum enim morbum adeo fallacem eſſe, quotidiana experientia docet; ita ut, modo corticem nimis cito omittant ægri, poſtquam deſiiſſe videbatur, inopinato iterum renaſcatur. Has vero recidivas certis quibusdam poſt finitam febrem temporibus facilius, quam aliis contingere; tertianas nimirum & quotidianas ſpurias ſecundæ hebdomadis a ceſſata remedii continuatione die aliquo, & dein alternis ſemper hebdomadibus; quartanas vero tertia quavis hebdomade facillime redire, obſervamus.

 Hinc

Hinc corticis repetitionem poſt intervallum octo vel decem dierum, eamque bis terve iteratam ſtrenue inculcarunt SYDENHAM (*l. c. p.* 378.) MORTON (*l. c. T. II. p.* 101.) TORTI (*l. c. p.* 79.) WERLHOF (*l. c. T. I. p.* 164. 199.) Quando nimirum e. g. in tertianis febribus ſufficienter operatus fuerit cortex una ſerie continuatus, ut ad præſentem febrim delendam nihil ſupereſſe, & nihil amplius utilitatis a continuato uſu in corpus redundare viſum ſit, deſinimus primo illum exhibere, & inde per hebdomadam accurate unam quieſcere a medicatione ægrum jubemus; octavo vero die, omnibusque per totam hebdomadam ſequentibus, corticis uſum denuo jugiter continuandum injungimus, ad primum vel ſecundum poſterioris hebdomadis diem usque; cum hoc paroxyſtico tempore, præſertim ſi ad duplicis vel multiplicis tertianæ indolem febris tendat, vix ulla dies, aut diei pars a recidivis iſtis motibus omnino tuta ſit. Si febris fuerit tertiana ſimplex, vel duplex, vulgaris, ſufficere poteſt doſis aliqua ad ſcrupulum unum, aut drachmam dimidiam, aut integram, aut duas, pro morbi indole, ſingulis aut alternis, pro typi ratione, diebus per totum octiduum exhibita. Optime vero has doſes bihorio circiter ante illud tempus, vel eo ipſo tempore, quo paroxyſmus exſpectari debuiſſet, ſi perduraſſet febris, propinamus. (TODI *Med. Bibl. T. I. St.* 3.

St. 3. *p.* 162.) Quodſi morbus pertinax & chronicus ex ſui ingenii aut corporis ratione futurus fuiſſe videatur, vel dictum regimen haud omnino exquiſitum ſperare liceat, vel conſtitutio epidemica ad inducendas febres vergat, eodem deinceps modo iterum iterumque per hebdomadam unam quieſcere, & per alteram medicamento uti oportet. Eadem curatio in quartanis & quotidianis veris recidivis adhibenda, modo non alterna, ſed tertia quavis hebdomada medela prophylactica adhibeatur; profligata nimirum juſtis corticis doſibus febre, per quatuorderim accurate dies quieſcendum, decimo vero quinto, octavo, & viceſimo primo efficax remedii doſis drachmarum binarum vel trium verſus paroxyſmi tempus denuo miniſtranda, qui nimirum dies in tertia hebdomade iidem qui in prima paroxyſtici ſunt; eademque cura iterum iterumque poſt duarum ſemper hebdomadarum intervalla repetenda, quoties nimirum aliquid ſub repetito uſu afficit febriculoſi. Contingit enim ſæpenumero, ut quum tempore quietis laudatæ nihil incommodi, ſed quotidianum potius ſanitatis incrementum notatum fuerit, per ipſum e contrario medicationis repetitæ tempus moleſtiæ quædam febriculoſæ perſentiantur; quas ægri facile, cum melius ſe melioris hebdomadis tempore habuiſſe reminiſcantur, corticis uſui imputant; ſopientur vero certiſſime illa incommoda, modo ad exitum us-

que hebdomadis ejus uſu perſeverent; præcipuo enim indicio ſunt iſta imcommoda, omnino neceſſariam fuiſſe remedii repetitionem, neque ab illa repetita per alternas hebdomadas curatione deſiſtendum eſſe, prius quam alternæ iſtæ morbidorum motuum vices per ſuas hebdomadas redire penitus deſinant. Pleriſque interim febribus una repetitio ſufficit. Ubi vero ægri delicatiores, vel febres non regulares fuerint, non tantum, uti dictum eſt, diebus acceſſionis & paucis ante eam horis, ſed per quatuor fere etiam extra paroxyſmi ſolitum tempus intervalla, cortex præbendus eſt. In mixto febrium genere, quod pertinax plerumque eſt, per decemdium quieſcendum, & deinde per ſeptem aut octo dies aut ultra medicina rurſus adhibenda, ut ſecundæ hebdomadis poſtremum, tertiæ prima ſaltem medietas efficace præſidio muniatur. (WERLHOF *l. c.*)

Dicta hæc certis tantum temporum intervallis interpolata, & hebdomadibus iſtis paroxyſticis reſpondens methodus omnino præferenda eſt illorum corticem continuandi modo, qui nimirum hoc remedium inde a fugata febre ſine interceptione per aliquot adhuc inſequentes dies, hebdomadas, menſes, nullo ſtatuto ad febris temporumque reverſiones minantium proportionem termino ægris propinant; ſic enim nauſeam ſine

fructu

ſructu creant, & remedium delicatiori ſtomacho grave tandem redditur; interdum, uti ab amaris diu nimis uſurpatis fieri ſolet, appetitus nimius excitatur, unde facile in diæta delinquit convaleſcens; retardatur inſuper & ſuo ordine turbatur temporarius ille materiæ recidivæ orgaſmus, unde illæ ipſæ reverſiones inordinatæ oboriuntur, vel & materia immatura, retardato ultra modum naturalem orgaſmo & imperfecte repreſſo, aliam in corpore induit formam, & morbi metaſchematiſmum variasque ægritudines producit. Medicatio ergo continua, etſi diutiſſime uſurpata, & inordinata quævis, etſi copioſiſſime adhibito remedio, reverſionem certe non prohibet, interdum nocet, dum illa methodus ſpem plenæ & conſtantis ſanitatis vix ac ne vix quidem fallit. (WERLHOF *l. c.*) Qui vero corticem dicto modo iterate aſſumere reſpuunt, hos omnino plures, quatuor nimirum aut quinque, uncias per aliquot poſt ultimam febris acceſſionem continuos dies devorare oportet. (PRINGLE *l. c. p.* 249.) Subjectis denique ſenilibus, debilibus, vel recidivam febrium autumnalium ſæpius paſſis, tempore quovis humido & frigido, per quatuor, ſex ſeptimanas, bis de die ſcrupulos duos, vel drachmam corticis exhibere ad recidivam avertendam convenit; (QUARIN *l. c. p.* 132.) interponendo tamen ſemper aliquot dies inter uſum corticis, ne corpus remedio adſueſcat, eoque vim ſuam per-

dat. (CLEGHORN *l. c. p.* 231.) Quibus vero corticis uſus iteratus omnino diſplicet, iis quandoque alia amara medicamenta corticis vices explent. (GRAINGER *l. c. p.* 132.)

Docuit quondam vulgi opinio, adhibito per aliquod tempus cortice & ſublata febre, purgantia, aliquoties etiam repetita, adhibenda eſſe, ut nimirum tum ſaburra morboſa, quam in corpore adhuc latere credebant, deturbetur, & recidivæ præcaveantur, tum ipſe in corpore reſtans cortex ex eo expellatur. Cui quidem præjudicio magno cum zelo ſeſe oppoſuit SYDENHAM, docens, inane conſilium eſſe corticem reſiduum everrere velle, cum æque parum, neque majore cum noxa, ac panis in corpore remaneat; & adeo nullum auxilium a purgantibus poſtmiſſis cortici reſpectu recidivarum accedere, ut potius experientia doceat, incaute adhibitis purgationibus, recidivas longe facilius excitari; & ea ipſa familiaria remedia, quæ vix ac ne vix quidem naturam alimenti tranſcendant, quæque convaleſcentibus uſui ordinario ſint ad alvum lubricam ſervandam, leniſſima tandem ex lacte parata enemata, quandoque recidivas febres feciſſe; (*Op. p.* 118. TORTI *l. c. p.* 84.) purgantia itaque propinanda non eſſe, usque dum non ſolum paroxyſmi perceptibiles, ſed etiam alteratio iſta, quæ diebus illis, in quos paroxyſmus

mus incidere debuerat, perſentiſcitur, omnino evanuerint; atque unus inſuper menſis fuerit elapſus. (SYDENHAM *l. c.*) Cavendum interim eſt, ne hoc egregiorum virorum monito nimis abutamur, nimisque religioſe purgationes interdum neceſſarias evitemus. Licet enim violentæ & incaute adhibitæ purgationes, vel etiam in febribus inſufficiente corticis continuatione imperfecte curatis, leniſſimi clyſmatis ſtimulus, æque ac animi quidam affectus, vel diætæ & regiminis minimus error, recidivam revocare poſſe non negemus; id tamen a lenioribus catharticis & in febribus congruo corticicis uſu perfecte curatis, verendum non eſſe, recte docuit BIANCHI; hoc enim, inquit, ſancte referre poſſum, in innumeris caſibus, de induſtria tentatis, ægros cujuscunque habitudinis, & quacunque tempeſtate, a febre qualibet intermittente per febrifugum vindicatos, hinc propinato cathartico, nec magis nec minus in febres relapſos fuiſſe, quam eos, quibus catharticum præſcriptum non fuerat. (*Hiſt. hepat.* T. *III. p.* 283.) Quin potius purgationes ſecundum indicationes veras exhibitæ recidivas potius arceant, quam promoveant. (*Id. l. c.*) Sæpius enim poſt ſuperatam febrem copia humorum inertium colligitur in primis viis; renatus porro a febre nimius ſæpe appetitus facile quid indigeſti colligit, quod ni mature & blande expurgaretur, facile fomitem

reci-

recidivæ præberet; ſic in febre quadam intermittente epidemica ægris per duas tresve ſeptimanas ab omni febri liberis lene purgans ſummo cum fructu dedit, & aliquot vicibus repetiit VAN SWIETEN (*T. II. p.* 559.) & ingentem inde copiam bilioſæ ſaburræ expelli vidit; neglectis purgantibus, anorexia, icterus, linguæ ſordities, urina rubicunda, redibant. Ubi itaque ſublata febre alvus officium intermittit, quædam in præcordiis vel ventre ſentitur moleſtia, convaleſcens neque cibum recte appetit, neque ab eo ſumto juvatur, tuto colluviem expurgamus ſine ullo recidivæ futuræ metu; (BERGER *Diſſ. cit.* *§.* 8. LAUTTER *Hiſt. bien. morb. rural. p.* 18.) modo, ſi plena ſanitas per ſufficientem remedii continuationem reſtituta eſſe videtur, diſtinguantur tempora, quibus natura ad reverſionem prona eſt. Ubi enim ipſa hebdomada altera, vel paullo ante ipſam purgans miniſtraremus, omnino metuenda eſſet recidiva; ubi vero ſtatim, ſimulac a corticis uſu ceſſavimus, longius ab hebdomade paroxyſtica moderate & ex arte purgamus ægros, nihil eſt, quod reverſionem timeamus. Neque etiam illo tempore aliquid formidandum eſt, ſi ſtatim ab evacuatione ad adæquatum corticis uſum iterum accedamus; (WERLHOF *T. I. p.* 175.) Emetica quoque purgantibus, quæ magis debilitant, præferenda; (GRAINGER *l. c. p.* 135.) inter purgantia vero, aptiſſima ſunt ſalia

cathar-

cathartica amara, quorum aliquod per biduum vel quatriduum, quotidie, ad drachmas circiter ſex aliquot aquæ unciis ſolutas, præbendum, quippe quæ ab irritatione & evacuatione nimia, obſtructioneque purgationis plerumque pediſſequa ſatis tutos reddunt. (WERLHOF *T. II. p.* 384.) Proderit quoque SYDENHAMI praxin ſequentes poſt purgationem paregoricum exhibere (*l. c.*) vel purganti antiſpasmodicum aliquod, veluti caſtoreum, ad præcavendam nimiam nervorum perturbationem, vel ipſum etiam corticem admiſcere. (OLIVIER *Journ. d. Medec. T. XI.*) Quodſi vero omnino nulla indicatio adſit, quæ ſive purgantis, ſive alius medelæ evacuantis adhibitionem poſtulet, omnino melius unici corticis uſui inſiſtimus, ad perfectam usque ſanitatis reſtitutionem.

Licet vero reſpectu febris ipſius corticem ſolum ſine ulla alia miſcela efficaciſſimum eſſe diximus; eſt tamen talis interdum morbi genius, & cum aliis morboſis conditionibus complicatio, ut egregie etiam alia medicamenta cum cortice combinentur; non quidem eo ſcopo, ut corticis vim febrifugam intendant, ſed ut morboſas iſtas conditiones, quæ forſan ejus bonum & promtum effectum impedire & perfectæ ſanitatis reſtitutionem retardare poſſent, tollant. Sic videmus, nonnullas febrium intermittentium ſpecies quam pro-

proxime ad ſtatum accedere inflammatorium, & non ſolum regimen frigidum, conuenientem diluendi modum, & interdum ſanguinis emiſſionem requirere, ſed etiam ut nitrum cum cortice conjunctum per totum curationis tempus exhibeatur, immo nonnunquam ejus uſus per unum alterumve diem intermittatur, atque temperantia antiphlogiſtica interponantur. (HUXHAM *Oper. T. II. p.* 33. 34. HOFFMANN *T. IV. P. I. S. I. C. I.* MEDICUS *Samml. v. Beobacht. Th. II. p.* 454.) Sunt, qui ad reſolvendas quæ adhuc forſan ſuperſunt cruditates & aperiendas obſtructiones prioribus ſaltem corticis doſibus ſal ammoniacum addunt, (PRINGLE *l. c. p.* 244.) ſicque pertinaciſſimas intermittentes ſoli corticis uſui hactenus reſiſtentes brevi depulerunt. (BROCKLESBY *Obſervat. p.* 178. BALDINGER *v. d. Kranckh. einer Armee. p.* 285. *& Progr. de C. P. connub. Jen.* 1769. *p.* 3.) In corporibus laxis & ſanguine pituitoſo præditis, præſertim ſi humida & nebuloſa prævaleat atmoſphæra, corticis virtus additis diaphoreticis incidentibus, reſolventibus, ſalibus alcalinis, (LANGRISH *l. c. p.* 252.) myrrha, (BROCKLESBY *l. c. p.* 177. SMALL *Phil. Trans. vol. LXVI. p.* 446.) camphora; applicatis ſimul veſicatoriis, egregie adjuvatur. (GRANT *l. c. p.* 92.) ſic cl. LYSON (*pract. Eſſays. p.* 18.) pertinaciſſimas tales febres intermittentes corticis peruviani ſcrupulis duobus & radicis ſerpentariæ virginianæ ſcrupulo uno

in

in pulverem redactis, præmiſſo, ſi opus, purgante mercuriali curavit; & MANGETUS ſancte, ait, aſſerere ſe poſſe, ſe in millenis ægris exhibitionem corticis non omni prorſus recidivæ antevertendæ aptam obſervaſſe, niſi volatilia etiam in larga doſi admiſcuerit, (*Bibl. pharm.* T. *II.* *p.* 698.) Sic quoque COHAUSEN (*l. c.*) in remedio quodem volatile corticis uſui addendo, omne felicis & a reverſionum metu liberæ medicationis præſidium collocat; eodem ſcopo HAMILTON juxta uſum corticis ægros mane dies aliquot ſalis abſinthii grana decem aut quindecim ex aquæ ſpadanæ hauſtulo, & deinde paullatim ejusdem aquæ libras duas aſſumere jubet, nec quicquam febribus pertinaciter recidivis certius occurrere affirmat. (*de febre miliari p.* 79.) Si ſudor febrem ultra ſpatium trahit, nihil æque ſolida vibrat, humoresque denſat, ac cortex cum antimonio crudo mixtus. (GRAINGER *l. c.* *p.* 106.) Si vero finita febre ſudores noxii perſiſtant & ægros nimium debilitant, & orbato parte ſua ſubtiliſſima ſanguine, corpus quotidie marceſcat, egregie cuivis corticis doſi aliquot ſpiritus vitrioli guttæ admiſcentur, vel corticis vehiculo elixir vitrioli additur; (SENAC *l. c. p.* 267.) eximie enim corticis adſtringens virtus addito acido augetur. PERCIVALL *l. c. p.* 77. 98.) Summo etiam cum effectu in ægris laxiore fibrarum & nervorum compage præditis aliquot aluminis

grana

grana cuivis corticis doſi adduntur, cum alumen vires digeſtionis, circulationis & nervorum, efficaciter adaugeat, & tantis a quibusdam contra febres intermittentes laudibus celebratum ſit. (MEAD. *mon. & præc. p.* 25. FÜRSTENAU *Exercit. d. Alum.* SENAC *p.* 264. MEDICUS *Beobacht. T. I. p.* 228. LIND *l. c. p.* 236.) Qualem etiam combinationem nuperrime in ægro ex ludibriis venereis ſumma nervorum debilitate laborante & pertinaciſſima quartana vexato, cum cortex ſolus nihil proficiebat, efficaciſſimam obſervavi, ſiſtebat enim pollutiones, quæ manifeſte præcipua febris pertinaciæ cauſa erant. In debilitate ventriculi faciliorem corticis digeſtionem juvat cortici lene quoddam aroma, vel amarum e. g. centaurium, (SENAC *l. c.*) adjicere; præcipue huc etiam conferunt flores chamomillæ, ob vim ſtomachicam anodynam & antifebrilem laudatiſſimi, quorum infuſum cortici ſuperbibitum efficere vidit BROCKLESBY (*l. c. p.* 174.), ut cortex a ventriculo facilius retineretur. In cacochymicis pulverem viperarum, vel millepedum cortici additum quidam ſumme laudarunt. (SENAC *l. c. p.* 305.) Ad ſolidorum laxitatem & humorum inertiam, indeque enatum habitum corporis leucophlegmaticum tollendum, egregie cum aromatibus & martis limatura conjungitur. (BROCKLESBY *l. c. p.* 177.) Poſſunt plura alia cortici cum fructu admiſceri, modo ſelectus ſecundum veras indicationes fiat.

Summo

Summo præprimis cum fructu interdum cortex cum opio combinatur. Et primo quidem egregie conveniunt opiata cum cortice juncta, ſi febris a terrore & animi pathematibus, ex ſola nervorum perturbatione, nulla cauſa materiali in corpore coexiſtente, originem duxit, quod in hominibus ſumma nervorum mobilitate præditis quandoque contingit; quo in caſu corticis doſes aliquot cum una alterave laudani liquidi guttis ſtatim adhibitæ brevi finem febri imponunt, quale a TRALLESIO relatum exemplum ſupra adduximus. Secundo, cum ad ſpaſticam febrium intermittentium earumque ſymptomatum naturam attenderint, quidam ſummo cum effectu corticis vires eo intendere conati ſunt, ut paulo ante febris invaſionem aliquam laudani liquidi ſive alius opiati portionem ægris propinarent; quo nimirum motus iſti ſpaſtici celerius promtiusque tranſeant, longior atque perfectior apyrexia reddatur; qualis fuit medendi methodus cl. BERRYAT (*Mem. de Math. & Phys &c. T. II. p. 24*) qui nimirum hora una ante invaſionem ægro viginti aut triginta guttas laudani liquidi Sydenhamii cum infuſo centaurei, elapſo vero paroxyſmi tempore, aliquot doſes corticis peruviani exhiberi jubet, hacque methodo quartanas, contra quas cortex ſolus incaſſum dabatur, cito profligatas fuiſſe teſtatur; quam methodum jam laudabat APINUS (NIGRISOLUS *l. c. p.* 53.) qui æſtum fe-

 bri-

brilem ſanguinis ſufficienter ope chinchinæ, centaurei, & opii compeſci dicit; qua eadem etiam Wratislavienſis quidam Medicus utebatur, qui teſtante TRALLESIO (*l. c. S. II. p.* 59.) in pertinacioribus & moleſtioribus febribus intermittentibus ante acceſſum opium exhibebat, dum tempore intercalari porrigebat corticem. Modo in hac adhibenda methodo juſta habeatur ratio, ad reliquas remotiores febris cauſas. Ubi enim febris pertinacia & ſymptomatum augmentum a plethora, obſtructione alvi, ſordibus primarum viarum, obſtructionibus viſcerum, aliisve cauſis materialibus penderet, quivis videt, opii calefacientem, alvum ſtipantem, diaphoreticam qualitatem, utilitatem illam, quam ex ejus anodyna vi ſperare liceret, pervertere, & plus damni quam emolumenti præſtare debere; ſic certe in pluribus cl. STOERCK (*Ann. med. I. p.* 77.) exinde temulentiam, paroxyſmos longiores reddi; vel ſi poſt profundum ſomnum a febre liberati fuerint, debiles ſtupidos fieri, & vix poſt longum ſatis tempus medicamentis amaris, ſalinis, ad perfectam ſanitatem redire vidit. Idem etiam valet de more recentiorum quorundam, qui in ipſis febrium paroxysmis opiatorum exhibitorum vires extollunt, quibus nimirum paroxyſmi leniores & breviores reddantur, æſtus minuatur, ſymptomata graviora ſpaſtica mitigentur, ſudor levans promoveatur, apyrexia magis perfecta reddatur, corticisque uſus cer-

certus magis & efficacior fiat; (LIND. *l. c. p.* 298.) ubi enim febres mere nervoſæ ſint, quales in hyſtericis & hypochondriacis quandoque obſervantur, & ſub ipſo paroxysmo inordinati motus in nervis fiunt, vel poſt paroxysmum relinquuntur, qui apyrexiæ ſtatum imperfectum, atque ad corticis uſum minus opportunum reddunt, tunc certo iſti motus, opio prudenter exhibito, optime domantur. (STOERCK *l. c. p.* 78.) Alias vero, ſi vehementior paroxyſmi æſtus ſymptomataque graviora ab orgasmo plethorico, alvi obſtructione, ſordibus inteſtinalibus penderent, opium certiſſime calorem & orgaſmum potius intenderet, febrem augeret, & in acutam periculoſam mutaret. (TRALLES *l. c.*)

Sed alio etiam ſcopo opium cum cortice interdum combinatur. Notavit enim SYDENHAMUS, (*l. c. p.* 382.) etſi cortex nulla purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorundam corporum idiosyncraſiam perſæpe accidere, ut ab ejus uſu tanquam a cathartico fortiore aſſumto æger violenter laxetur; hoc caſu laudanum vino inſtillatum poſt alternas doſes aſſumere juſſit, ne cortex juſto citius, antequam ſuo functus ſit munere, per alvum expulſus diſperdatur. Sollicite interim inquirendum, numne forſan frequentior alvus, quam cortex producere videtur, potius a reſiduis adhuc inteſtinorum ſordibus pendeat, quæ nimi-

rum incitato per amarum remedium motu periſtaltico ſolvuntur & feliciter expelluntur. Hoc enim in caſu inutile eſſet ſiſtens quoddam cortici addere; poſt plures enim corticis doſes alvus ſponte ſilebit; vel ſi pertinacius perduraret, ſecurius erit, lene quoddam purgans interponere & dein corticis uſui iterum inſiſtere. Sic cl. GRAINGER in epidemia quadam plures, dum corticem ſumebant, leni diarrhæa correptos vidit, quibus vero hic fluxus adeo non noxius erat, ut e contrario ad curationem citam & conſtantem multum faceret. (*l. c. p.* 93. PRINGLE *l. c. p.* 245.) Aſt ubi tales ſordes non adſunt, ſed ob peculiarem corporum temperiem cortex diarrhœam producit, non juvantem, ſed corticis uſum inertem reddentem, tunc optimo cum effectu ex SYDENHAMI (*l. c.*) MORTONI (*T. II. p.* 239.) PITCARNII (*Elem. L. II. c.* 1. *§.* 47.) WERLHOFII (*T. I. p.* 133.) TORTI (*l. c. p.* 84.) aliorumque conſilio ſingulis alterniſve corticis doſibus laudani liquidi, vel tincturæ thebaicæ guttulas vel theriacæ grana quindecim addere, (TISSOT *Avis au peuple. p.* 339.) aut etiam unciam ſemis vel unam theriacæ Andromachi, ut ſcutum ſtomachicum apponere, confert. (QUARIN *l. c. p.* 134.) Eodem ſcopo loco opiatorum caſcarillæ cortex, (GALEATIUS *Comment Bonon. T. V. P.* 2. *p.* 221.) vel terra japonica, (FULLER *Pharm. extemp. p.* 79.) vel alia adſtringentia cortici addi poſſunt.

Faci-

Facilius interim a laudano cum cortice commixto, quam cum adſtringentibus conjuncto diarrhæam compeſci obſervavit MORTONUS (*l. c.*)

Ubi fluxus menſtruus hoc tempore, quo corticem adhibemus, incideret, ille quidem hujus uſus continuationem non contraindicat, cum cortex, uti nullas excretiones, ſic etiam naturalia & neceſſaria ſanguinis profluvia neque reprimat, neque ultra modum propellat, ipſisque gravidis & puerperis maximis & repetitis doſibus propinatus adeo non nocuerit, ut potius ipſis ſummo præſidio fuerit. (MAURICEAU *obſ.* 272. TORTI *l. c. p.* 448. TRILLER *Diſſ. cit. hiſt.* 2. HEBERDEN *Med. Trans. Vol. I. edit. germ. p.* 469.) Ita ut, quam aliqui huic remedio adſcripſerunt noxiam qualitatem, fluxum ſive uterinum ſive hæmorrhoidalem ſupprimentem, febri potius imperfecte ſuppreſſæ debeatur quam cortici, cum ex illa cauſa ſola, ſive cortex adhibitus fuerit, ſive non, hæc damna ſæpius oriri obſervemus. Quod ſi vero in paucioribus & ſenſilioribus conſtitutionibus fluxus inſtantis vel præſentis retardatio vel ſuppreſſio ex remedii ſubſtantia eveniret, (LIND. *l. c. p.* 277.) huic infuſio aquoſa vel moderatius paratum decoctum, aut extractum, tales nimirum corticis præparationes, in quibus particulæ remedii terreſtres magis ſejunctæ ſunt, ſubſtitui, (WERLHOF *l. c. T. I.*

 p. 79.)

p. 79.) vel etiam corticis ſubſtantiæ leniora emmenagoga, e. g. pauxillum myrrhæ, addi poſſunt. Uti ex adverſo, ſi ejus uſu nimium fluxus iſti incitarentur, cum ipſo, præſente quidem ſanguinis æſtu nimio, temperantia, urgentibus ſpasmis antiſpasmodica, vel in vaſorum nimia laxitate, quam quidem per ſe optime tollit, ſpiritus vitrioli, alumen, caſcarilla, aliave leniora cohibentia, optime jungi poſſunt. Si vero febris intermittens cum fluxu uterino præter naturam nimio juncta eſſet, atque ab ipſa febre fluxus magis incitaretur, certa ſpes eſt, corticem una cum illa hunc quoque ſedaturum eſſe. (FOTHERGILL *Med. Obſ. and. Inq. Vol. V. p.* 171.)

Alvum, ſi forſan juxta corticis uſum ſtricta nimis eſſet, indeque congeſtiones, flatus, aliave incommoda orirentur, quod quidem ex ipſius remedii culpa raro contingere ſupra notavimus, leniora quidem purgantia, per epicraſin ita data, ut alvum quidem aperiant, non nimis vero ſollicitent, cortici vel juncta, vel ejus uſui interpoſita, iſtud incommodum facile tollunt; quod tamen plerumque ſponte, ex ipſa remedii continuatione, inſtaurato nimirum qui antea languebat motu periſtaltico ceſſat; ita ut obſervatum potius fuerit, hominibus antea ad alvi tarditatem pronis corticis ob febrim uſum ita feliciter contuliſſe, ut peracta rite curatione, etiam ab illa mole-

moleſtia ſeſe liberatos ſenſerint. (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 80.) Quibus vero exantlata jam febre diarrhæa llioſa vel hæmorhoidalis ſupereſt, uti in iis interdum ægris contingit, qui ſanguine hæmorrhoidali & ſero ſcorbutico turgent, & appetitus & vires languere pergant, proderit uſus aquarum mineralium, præſertim ex WERLHOFII commendatione, Emſanæ, calide mane ad libras circiter duas hauſtæ, & continuatæ. donec alvina proluvies, diureſi facta & temperatis humoribus ceſſarit; quibusdam hæmorrhoides cæcæ cum alvo adſtricta prodeunt, quæ niſi tempore & continuato remedii uſu evaneſcant, adjectis aut interpoſitis medicamentis ex nitro, floribus ſulphuris, decocto millefolii, vel duobus forſan mercurii dulcis granis veſpertinæ cuivis corticis doſi additis, vel applicatis extrinſecus enematibus, fotibus, unguentis congruis, hirudinibus, facile tolluntur. (WERLHOF *l. c. T.* I. *p.* 133.)

Sic etiam reliqua incommoda, quæ interdum poſt febres relinquuntur, utpote febris potius imperfecte ſublatæ, quam corticis adhibiti effectus ſunt, quæque pro cauſarum morboſarum diverſitate aggredi oportet. Et cum effectus plerumque ſint characteris febrilis in hac vel illa corporis parte nondum deleti, optime ejusdem corticis continuato longius uſu debellantur.

 (CLEG-

(CLEGHORN *l. c. p.* 232.) Sic vomitus ille bilioſus & moleſti ſingultus, qui poſt male curatam tertianam ægrum miſere vexabant, neque ullis ſive evacuantibus ſive antiſpamodicis ceſſabant, mox cortice peruviano radicitus tollebantur, cognita ex febre prægreſſa cauſa. (GESSNER *Beobacht.* T. *III. p.* 240.) Ita etiam rheumatiſmus iſte vagus, quem ex longo & repetito corticis peruviani uſu ortum interdum obſervavit SYDENHAMUS (*l. c. p.* 376.), non corticis ſed potius ipſius præmaturi uſus, ante requiſitam materiæ febrilis coctionem & materiæ bilioſæ ad articulos nunc depoſitæ evacuationem, ſequela eſt, (STOLL. *Rat. med. P. I. p.* 104.) & interpoſitis purgantibus & repetito dein corticis cum reſolventibus mixti uſu, brevi cedit. Tuſſim, quæ nonnunquam febre exſuperata remanet, quod maxime ſub autumnum & hyemem contingit, exanthemate illo critico, quod circa labia evenire ſolet, ad bronchia forſan vel ipſos pulmones antea morbidos delato, egregiæ aquæ Selteranæ, ſubjunctis lenioribus ſecundum ſupra datas cautiones purgantibus, tollunt. Debilitatis tum nervorum tum vaſorum ſymptomata, capitis temulentia, aurium tinnitus. flatulentia, pedum œdemata, pathemata hypochondriaca optime; niſi ſordium vel obſtructionum relictarum progenies ſint, continuato corticis, vel limaturæ martis, præſertim aquarum mineralium

mar-

martialium, tum aperientium tum roborantium, uſu ſanantur.

Ubi ex minus recto corticis uſu febris nimis mature repreſſa fuiſſet, hancce nunc varia graviora ſymptomata, abdominis inflatio, anorexia, icterus, membrorum intumeſcentia, exciperent, hæc quidem incommoda pro cauſarum morboſarum in corpore reſtantium diverſitate æſtimanda & curanda ſunt. Nimis enim generaliter ſuaſerunt quidam, ut, dum talia mala febres ſuppreſſas ſequerentur, purgantibus fortioribus adhibitis febris revocetur; id quod quidem egregium conſilium eſſet, modo mitem ſemper & moderatam excitare poſſemus. Mitem vero & moderatam excitare & ſervare, nec cuivis, nec ubique profecto licet; quicquid de hujus vel illius methodi aut medicinæ felici efficientia ad febres ſuppreſſas exſuſcitandas laudetur, uti recte monuit WERLHOF (*l. c. T. I. p.* 154.) Si vero mitem & ſecuram febrim producere ars ſpondere non poſſit, nonne ridiculum morbum unum curare velle altero, non minus verendo? Tutius itaque erit, ſymptomata iſta remediis cauſis ipſorum oppoſitis ita aggredi, quaſi nulla febris prægreſſa fuiſſet. Ubi ergo a febre nimis mature, antequam nimirum ſordes primarum viarum ſufficienter expulſæ atque viſcerum obſtructiones ſatis reſeratæ fuerint, curata, hæc illave

 incom-

incommoda neglectui iſtarum cauſarum merito adſcribenda apparerent, efficaciora ſolventia & aperientia, interpoſitis lenioribus evacuantibus adhibenda; extracta potiſſimum amara, gummiferulacea, decocta radicum aperientium ſalibus ſolventibus nupta; quippe quibus optime impacta adhuc viſceribus elimininantur, neque raro febris iterum, quæ revocatur, deinde vel his ipſis remediis vel rite ſubjuncto corticis uſu perfecte tollitur; (GRANT *l. c. p.* 63.) Si vero iſta incommoda a nimis parca potius quam præmatura corticis adminiſtratione originem ducere. & ſemiſopitæ febris reliquiæ eſſe videantur, continuare medelæ febrifugæ uſum oportet, vel ſolum, vel præmiſſis aut additis pro indicatione aliis, donec plena appareat ſanitas, ſecundum regulas ſupra traditas. (WERLHOF *l. c.*)

Contingit vero interdum, quod, licet cortex rectiſſime ſecundum præſcriptas regulas, debitis doſibus, ordine, miſcelis, adhibitus fuerit, febris tamen pertinaciter reſiſtat; vel licet per aliquod tempus ſuſpendatur, poſtea tamen iterum iterumque redeat. In hoc quidem caſu, uti recte monet SYDENHAMUS, (*l c. p.* 385.) non nimis pertinaciter inſiſtendum corticis uſui, ſed prudentis Medici eſt, pro ſuo judicio aliis modis curationem aggredi. Alias enim febres nimis protracta tandem in hydropem, icterum, tym-

tympanitidem tranſit. (VAN SWIETEN *T. II. p.* 564. PRINGLE *l. c. p.* 215. GRAINGER *l. c. p.* 126. MONRO *l. c. p.* 163.) Ut plurimum vero neque alia laudata antifebrilia cum majore fructu applicantur. Adhibebantur enim in ſimilibus caſibus, cum cortex fallebat, infuſa chamomillæ, vegetabilia amara, diaphoretica, Alumen, Nux moſchata, Antimonialia, Piper, Arſenicum, Vitriolum, innumeraque alia; inter quæ ſecuriora ſine damno quidem at incaſſum porrigebantur, usque dum perſeverans acriter morbus humorum craſin penitus diſſolverat, ſolidaque ita relaxaverat, ut tandem cachexia, hydrops vitæ finem facerent; reliqua mortem accelerabant, dum aut nimis calefaciendo febrim in continuam & inflammatoriam mutarant; aut adſtringendo viſcerum corruptiones produxerant, aut venenoſa qualitate corpus conſumſerant. (MONRO *v. d. Feldkrankh. p.* 163. QUARIN *l. c. p.* 138.) Ita ut generatim nil pejus ſit, quam variis promiſcue adhibitis remediis febrim jugulare velle. Tutius longe eſt cauſas morboſas febris curationi & corticis virtuti reſiſtentes ſollicite rimari, num forſan congruis remediis tolli poſſint. Cum vero cadaverum ſectiones copioſe oſtenderint, cauſam talis februm pertinaciæ plerumque in gravioribus viſcerum, hypochondriacorum præſertim, vitiis, obſtructionibus, corruptionibus, latere, (MONRO *l. c.*) patet, ſecu-

riſſime

riſſime & efficaciſſime ſimul hic adhiberi remedia ſolventia, aperientia, viſceralia; ſalia alcalina, extracta amaricantia cum gummi ferulaceis, ſaponibus, in diatheſi pituitoſa; ſucci expreſſi, decocta, radicum & herbarum aperientium ſaponacearum cum ſalibus mediis, in obſtructionibus biliofis; junctis inunctionibus, frictionibus abdominis, diætæ & motus congruo regimine, caeli mutatione, quorum remediorum diutius continuato uſu ſæpe tandem pertinaciſſime corticis uſui reſiſtentes febres feliciter ſublatæ, aut ſaltem eo redactæ fuere, ut nunc facilius cortici cederent; exemplo, hortulani illius, ſolo decocto radicum Graminis & Taraxaci cum oxymelle & ſale polychreſto, (DE HAEN *Rat. med. T. XII. p.* 4.) aliorum quotidiano foliorum Cichorei, (GEOFROY *l. c.*) vel Tartari ſolubilis, (GRANT *l. c. p.* 77.) vel reliquorum aperientium reſolventium uſu ſanatorum, (PICQUE *Journ. de Med. T. XLII. p.* 340. TODE *Med. Bibl. IV. ſt.* 1. *p.* 266.) Cavendum a fortibus purgantibus, hoc enim in ſtatu nihil vitam, tolerabiliorem alias & diuturnioremque reddere calamitoſiorem, brevioremque conſuevit, quam multus evacuantium uſus. Vel enim nihil, vel parum, vel multum operabuntur. Si multum, vires prorſus demunt, & dum indomabilem cauſam non attingunt, interea humores minus pravos, qui vitam ſuſtentaſſent, attenuando corumpunt; ſi vix aut nihil

nihil evacuant, diſſolvunt humores tamen, cauſamque hydropis adaugent, uti egregie demonſtravit de HAEN (*l. c. p.* 9.). Adæquatus interdum hic locus eſt Mercurio dulci, modo cum ſolventibus, modo cum lenioribus evacuantibus, tandem cum ipſo cortice juncto, quippe egregie ſtaſes humorum pituitoſorum in glandulis & viſceribus impactorum ſolvat, & modo nimia corporis extenuatio & putrida humorum diſſolutio abſit, pertinaciſſimas ſæpe febres tollat; cujus mercurii contra febres obſtinatas virtutis luculentum exemplum narrat DON. MONRO (*Arzneikund. Abhandl. T. II. p.* 288. militis nimirum, qui per unum & dimidium annum febre intermittente laboraverat, & præter chinam innumera alia medicamenta fruſtra deglutiverat, emaciati, phtiſico ſimillimi, cui etiam ipſe cl. vir corticem cum amaris, antimonialia, martialia, evacuantia, balnea frigida, ſine alio ſucceſſu præſcripſerat, quam ut febris per aliquot dies ſupprimeretur quidem, at mox iterum rediret, usquedum Mercurialia tentaſſet, quorum quidem tertia doſis ſalivationem producebat, qua pcr plures hebdomadas protracta, eadem quidem vehementia ſtata periodo febris redibat; finita vero ſalivatione & denuo nunc adhibito cortice, intra paucos dies tollebatur. Quales ſimiles mercurii ſive ſolius ſive cum cortice nupti egregios contra febres effectus narrant SCHULZE (*Diſſ. de Mercur. uſu in febr. quart.*

quart. Hal. 142.. LYSON (*pract. Eſſays p.* 30.) LENTIN (*Obſ. Med. faſc. II. p.* 64.) BENEVENUTI (*Diſſ. de febr. epid. Lucenſi. Luc.* 1754.) Interdum, præſertim ſi paroxyſmi ſolito ſudore non finiuntur, diaphoretica adhibita, antimonialia videlicet, curationem egregie promovent, aperiendo oppilata cutis vaſa, liberioremque tranſpirationem promovendo. Sic in ægro quodam febre intermittente laborante, cum totum corpus marcidum, cutim rigidam ſiccam, & veluti ſquamoſam vidiſſet cl. SENAC (*l. c. p.* 388.), vinum ſtibiatum minoribus doſibus aliquoties de die eo cum ſucceſſu adhibuit, ut mox omnia in melius mutarentur, ex tota corporis ſuperficie ſquamæ furfuraceæ deciderent, univerſali madore cutis perfunderetur, atque absque ullo alio remedio febris abiret. Adjuvatur vero diaphoreticorum dicta efficacia juncto frictionum uſu; interdum enim illa ſola ſine ſucceſſu adhibebantur, ubi vero frictiones, cum pannis laneis calidis & camphora bene impraegnatis, ab initio paroxyſmi inſtituebantur, largiſſimus ſudor exoptato cum effectu erumpebat, & fruſtra hactenus adhibitis aliis evacuantibus, vel ipſo cortice, febris vincebatur. (STOERCK *Ann. Med. II. p.* 169.) Simili effectu nuperrime in ægro intermittente admodum anomala per plures jam menſes vexato, incaſſum tentatis omnibus, camphoræ aliquot grana cum corticis ſingulis doſibus combinavi, ſimul-

ſimulque camphoræ fruſtulum ad ſcrobiculum cordis applicari juſſi, redibant quidem bini adhuc paroxyſmi, ſed largiſſimis ſudoribus tum hi ipſi finiebantur, tum denique ipſa febris perfecte exſtinguebatur.

Accidit vero, uti ſupra jam dictum eſt, delicatiores ægros ob peculiarem idioſyncraſiam, interdum corticem in ſubſtantia non ferre, ita ut quacunque ratione cum aliis amaris, antiſpasmodicis, opiatis, adſtringentibus, combinetur, vel minime nauſeoſis formulis præſcribatur, ſtatim vel vomitu iterum rejiciatur, (MONRO *l. c. p.* 154.) vel tormina excitet & indigeſtus mox iterum per alvum ejiciatur; in hiſce videndum, num hæc vel illá corticis præparatio eo largiore doſi exhibita eundem tandem quem corticis pulvis effectum præſtet. Obſervati enim ſunt ægri, qui corticem in ſubſtantia non ferebant, infuſo tamen frigido, (WEICKARD *Obſ. med. faſc. I. obſ.* 3. ALIX *Obſervat. faſc. II.*) vel decocto, aut extracto, feliciter ſanati. Quin etiam peculiaris febrium intermittentium epidemicarum genius interdum præparatorum corticis uſum quam ipſius ſubſtantiæ melius fert. Sic e. g. in febribus intermittentibus magno calore ſtipatis, & de genio bilioſo magis participantibus extractum corticis magis convenire vidit cl. QUARIN, cum pulvis ejus nauſeam, anxie-

xietatem, ſenſum ponderis in ventriculo, majorem calorem, alvi obſtructionem produxerat; & epidemiam febris intermittentis bilioſæ, deſcribit, cum ſiti intenſa, calore ſummo, deliriis junctæ, quæ febris, purgatis etiamſi primis viis, cortice dato, oppreſſiones præcordiorum, anxietates, languores cauſabat, neglecto vero cortice brevi in continuam peſſimam abibat; ubi vero præmiſſis emeticis aut purgantibus, poſt tertium paroxyſmum binæ aut tres extracti corticis drachmæ, mixturæ ex aceto, ſucco citri & ſalibus mediis addebantur, pauca hac corticis quantitate febris moderabatur, neque in continuam abibat, & a ſalibus mediis alvus fœtida crebrior deponebatur; lingua non ſordida, urina minus colorata, nauſea fugata, ſalium quantitas minuebatur, & febris extracto ſolo, dein cortice in ſubſtantia exhibito, integre fugabatur. (*l. c. p.* 134.)

Qui vero corticem qualicunque forma exhibitum vel renuunt, vel ferre nequeunt, his extrinſecam remedii applicationem tentare licet; ex qua non minorem interdum ſucceſſum, ac ſi per os ſumtus fuerit, obſervatum fuiſſe, ſupra diximus. Poterit itaque vel methodus feliciter primo a BAGLIV (*Prax. med. L. I. C.* 13. *§.* 9.) & ab HELVETIO tentata, (*methode de guerir toutes ſortes de fievres ſans rien prendre par la bouche. à Paris,* 1694.) clymatibus nimirum chinatis febrem

brem tollendi, adhiberi, & obſervatis regulis, ſuperius traditis, vel corticis pulvis aqua dilutus, vel melius, ejus decoctum aut extracti ſolutio, aliquoties, idque die paroxyſmi mox ante & poſt ſolitum invaſionis tempus, diebus vero intercalaribus quovis mane & veſperi, vel ſi periculum urgeret, quarta quavis hora, alvo injici. Quorum clyſmatum felices ſucceſſus abunde teſtimoniis & experimentis V. SWIETEN (*l. c. p.* 567.) TORTI (*l. c. p.* 461.) BUCHWALD (*prodr. Act. Hafn. p.* 18.) RENAUDIN (*Richard Recueil d. obſerv. T. II. p.* 6.) LIND (*l. c. p.* 293.) QUARIN (*l. c. p.* 135.) MONRO (*l. c. p.* 137.) aliorumque confirmati ſunt.

Si vero etiam hæc applicari non poſſent, externis corporis partibus corticis pulvis, ſive ſiccus, ſive in cataplaſmatis conſiſtentiam redactus, ſive decoctus forma balnei aut fomentorum, aliquando cum ſucceſſu adhibetur. Sic primus cl. PYE infantibus corticis pulverem intra linteum duplex conſutum nudæ cuti applicavit, pondere duarum, trium, ſex, pro diverſitate ætatis unciarum, & tali ratione febres intermittentes & remittentes curavit; (*med. Obſ. and Inq. T. II. p.* 245) quam methodum, licet eam ſine effectu imitatus ſit cl. HARVEY (*Monro l. c.*) & *cl.* VOGEL (*l. c. p.* 19.) penitus rejiciat, cum naturam ipſam tales febres potius, quam hos corticis halitus ſanaſſe credat,

 recen-

recentius tamen feliciter pluries, immo fere nunquam ſine effectu tentatam eſſe legimus. (KESLER *Geſch. d. Faulf. p.* 251.) Efficaciora quidem omnino habenda ex cortice cum aqua parata cataplaſmata, intra linteum tenue abdomini applicata, qualibus ipſe ill. ROSENTEIN (*Reis-apoth p.* 17.) febre ſemitertiana correptus ſeſe ſanavit; poterit etiam ipſis cum effectu camphora adjici, (HANNES *Brief an H. Baldinger p.* 77) vel corticis pulvis cum camphora & theriaca mixtus ventriculo & epicarpiis imponi. (WELSTER *in Cole Tr. de f. interm.* LIND *l. c. p.* 283.) Majore forſan cum ſucceſſu infantes in balneum ex decocto corticis immergi poſſunt; ex quo parata pediluvia calida, quibus ægri per bihorium bis quotidie inſidebant, etiam in adultis cum felici eventu applicavit cl. ALEXANDER (*Exp. Eſſays. p.* 38); licet omnino pretioſa, neque, id quod quidem & de reliquis externis corticis applicationibus dici poteſt, conſtantis & certæ efficaciæ ſint. (WERLHOF *l. c, T. I. p.* 92.)

Infantibus febribus correptis, cum cortex in ſubſtantia dicta ratione raro ingeri poſſit, gratiſſimæ ejus præparationes proportionatæ ætati, ſufficienti tamen qua fieri poteſt copia, propinari debent, quales ſunt tenuiora, infuſa, decocta, vel ſolutiones extracti, gratiori ſyrupo dulcificata; (UNZER *Medic. Handbuch. p.* 118.) ubi vero

neque

neque hæc deglutiunt, externæ corticis applicationes tentandæ. In lactantium febribus optime nutrici omni bihorio corticis doſis drachmæ circiter dimidiæ datur; qua methodo puellam octo menſium lactantem tertiana admodum debilitatam brevi reſtituit BRUN (*Journ. de Med. T. XXXV. p.* 415); quod idem quidem pluries absque effectu in lactantibus tentavit HEMMAN, quos dein clyſteres chinati brevi ſanaverunt. (*Med. Chir. Auffäze. p.* 197.)

Etiam gravidis & puerperis corticem ſine ullo noxæ metu adhiberi poſſe, ſupra diximus. Neutiquam enim in prioribus, vel amarore ſuo vel alia quavis qualitate, adverſari fœtui in utero exiſtenti, abunde obſervationes repetitæ probant; quin potius eo magis neceſſarius ejus maturus uſus eſt, quo majus periculum abortus, tum ratione concuſſionis violentæ corporis tempore horroris, tum ſanguinis orgaſmi tempore æſtus, tum ſymptomatum moleſtiorum, vomitus, jactationis, diarrhææ, colicæ, febrim forſan comitantium, adſit. Neque quis metuat, ne inſit eidem vis quædam irritans, calefaciens, tormina, congeſtiones, alvi obſtructiones, teneſmos producens, quibus abortus produci poſſet; innumera enim exempla, in quibus nil tale contigit, ita ut potius febre ſubmota ſimul illa ſymptomata ſublata fuerint, contrarium ſtatuunt. Neque, qui forſan poſt cor-

ticis uſum ſecuti ſunt abortus, ipſi cortici, ſed potius febris prægreſſæ vehementiæ adſcribendi ſunt. Similiter in puerperis, forſan febre intermittente correptis, cum cortex fluxum lochiorum naturalem neque inſigniter augeat, neque vi ſupprimat, tuto, modo ullum ex longiore febris duratione periculum appareat, remedium præmiſſis præmittendis, admixtis admiſcendis, eo prorſus modo, eaque doſi, quæ morbi exigentiæ reſpondet, uſurpari poſſe, perinde ac ſi ægrotans non eſſet puerpera, facta experimenta ſatis confirmant; exemplo febris puerperæ periculoſiſſimæ copioſo corticis uſu primis diebus audaciter curatæ. (SCHELHAMMER *de natura. p.* 248. *conf.* TORTI *l. c. L. V. C.* 6. MAURICEAU *Obſerv.* 272. 697. TRILLER *Diſſ. cit.* WERLHOF *l. c. p.* 79. *&c.*)

CAPUT II.

Uſus Corticis in febribus intermittentibus complicatis.

Cum hactenus uſum Corticis rectum in febribus intermittentibus ſimplicibus conſideraverimus, ſequitur, ut eundem quoque ad illas cum variis aliis morbis mixtas & complicatas applicemus; cum ſecundum ipſam hanc variam febrium complicationem laudata febrifuga methodus varie in-

terdum

terdum mutari neceſſe oporteat. Nullum vero fere morborum genus eſſe, quin interdum cum febribus iſtis jungi poſſit, hiſtoria morborum ſatis docet; frequentiſſimas vero complicationes adduxiſſe ſufficiet.

Complicantur interdum febres intermittentes cum inflammationibus, idque variis modis, varias omnino etiam reſpectu ipſius corticis medendi rationes poſtulantibus. Interdum enim inflammationes iſtæ potiorem cauſæ ſuæ partem in diatheſi ſanguinis inflammatoria, quam in iſto vero febrium intermittentium fomite, ſitam habent, febrisque intermittens juncta ſpuria potius, & pro manifeſtius remittente magis, quam pro intermittente vera habenda eſt. Ad hanc ſpeciem tertianæ iſtæ inflammatoriæ deferendæ, quas deſcribit HUXHAM (*l. c. p.* 32) in plethoricis, maxime ſi abuſus ſpirituoſorum, aut conſuetarum ſanguinis evacuationum omiſſiones præceſſerint, interdum evenientes, pulſu duro, vehementiore capitis dolore, reſpiratione crebriore & difficiliore, facie rubra, doloribus pleuriticis, rheumaticis, ſiti intenſa, urina rubra, ſtipatæ, ſanguine vena miſſo denſa inflammatoria cruſta tecto. Talibus omnino febribus non alia methodus applicanda eſt, quam quæ veris inflammatoriis adhiberi debet, diluens nimirum, refrigerans, antiphlogiſta. Ubi enim Medicus intermiſſione illa

manifeſtiore ſeductus corticem nimis cito, neglectis remediis diatheſi inflammatoriæ oppoſitis, adhibet, facillime in continuas mutantur, & ſummum ex aucta inflammatione inducitur periculum; ubi vero adminiſtrata vel in ipſo paroxyſmo venæſectione, adhibitis temperantibus, nitro præſertim & ſale ammoniaco, ſubjunctis deinde ſi forſan colluvies bilis ſimul adeſſet, lenioribus evacuantibus, ſtibiatis inprimis, veram febris cauſam aggreditur, plerumque poſt aliquot dies febris aut ſponte ceſſat, vel evanidis ſignis inflammatoriæ diſpoſitionis ita intermittit, ut ſecure cortex adhiberi queat. (WERLHOF *l. c. p.* 104. PRINGLE *l. c. p.* 145. 237.) Sic obſervavit cl. SIBBERN febrim intermittentem epidemicam, quæ nullo modo Corticis uſum ferebat, venæſectionibus vero, temperantibus, decoctis aperientibus cum ſalibus mediis junctis, facile ſanabatur. (TODE *Bibl. B. II.* 1. *St. p.* 149.) Idem etiam valet de febribus iſtis intermittentibus, quæ remittentes inflammatorias vel birioſas interdum excipiunt; quamdiu enim fomitem ſuum in relicta adhuc vel phlogiſtica vel bilioſa humorum diatheſi habent, remedia his cauſis oppoſita continuari debent; alias nimis cito adhibito cortice in pejorem redeunt ſtatum; (GRANT *Beobacht. über die Fieber. p.* 134) illis vero cauſis penitus ſublatis pertinaciter perſeverantes egregie tandem & ſecure cortice tolluntur; ſic RAU

exem-

exemplum pleuriticæ cujusdam narrat, in qua poſt præſcripta antiphlogiſtica ſexto die ita quidem fractus fuit morbi impetus, ut paroxyſmus non uti antea ſingulis, ſed alternis diebus accederet, cum conſuetis pleuritidis ſymptomatibus, cum vero ultra quatuordecim dies tali modo febris continuaret, neque antiphlogiſticorum continuatus uſus juvaret, his cortex cum rhabarbaro jungebatur, ex quo in exquiſitam tertianam mutabatur febris, ita ut nunc alternis diebus cum horrore recrudeſceret, majoribus nunc corticis ſolius doſibus ſtatim ſublata. (*A. N. C. Vol. X. obſ.* 46.) Alius vero complicationis modus eſt, ſi inflammatorius morbus ad febrem intermittentem ita accedit, ut tum hic tum iſte affectus, quivis ex ſuis propriis cauſis enatus, nulla intercedente cauſarum complicatione, peculiarem morbum ſiſtat, ſuis quique remediis tollendus. Sic VAN SWIETEN aliquando, licet rarius, talem febrem ardentem obſervavit, in qua tertia quaque die exacerbatio manifeſta erat, dum interim continua febris intermedio die pergeret & augeretur continuo. (*Comment. T. II. p.* 446.) Frequentius vero continuæ ad intermittentes accedunt, præſertim quartanas; cum nimirum hi ægri, quo longo tempore febre vexantur, ſimiliter uti reliqui ſani, omnibus ceteris epidemicorum præſertim morborum cauſis expoſiti ſint. Sic idem illuſtris Vir vidit hominem quartana laborantem pleuritide

valida correptum fuiſſe, quam febris acuta inflammatoria comitabatur, interim tamen toto hujus pleuritidis decurſu quartana febris typum ſuum ſervans ſtato tempore adoriebatur, nec novo hoc morbo adveniente, nec venæ ſectionibus aliisve remediis, ad pleuritidem ſanandam adhibitis, turbata. (*l. c.*) Peſſimam hanc complicationem eſſe, cum ad continuam alternis vel ſingulis diebus novus paroxyſmus febris intermittentis accedens omnia mala augere debeat, efficaciſſima hinc ſtatim ad periculoſiorem continuam inflammatoriam febrem tollendam adhiberi debere remedia, neque corticis uſui locum eſſe, usque dum intermixta acuta illa febris ſublata ſit, ſponte patet.

Tertia complicationis ratio eſt, ſi inflammatorius morbus ita cum febre intermittente jungitur, ut verum ipſius febris ſymptoma & ejusdem cauſæ progenies ſit, hinc cum febris paroxyſmo quovis redeat, eo finito evaneſcat, ita ut in ipſis paroxyſmis vera inflammationis hujus illiusve partis ſigna manifeſto appareant, in intervallis vero ne minima quidem aut ſaltem multum minuta obſerventur. Sic lapicida quidam tertiana laborabat, & ſæviſſimum lateris dolorem quovis impari die patiebatur, die vero pari minime; ſilebat poſt ſeptimam acceſſionem febris tertiana, & in ſuppurationem tranſeunte inflammatione in

hecti-

hecticam mutabatur, donec trigeſimo morbi die rupta vomica æger ultra duas puris libras ore rejecerat, poſt plures denique menſes perfecte curatus. (DE HAEN *Theſ. de febr. divis. p.* 137.) In alio primo jam febris intermittentis paroxyſmo colica inflammatoria accedebat. (*ibid.*) Sic & SAUVAGE (*Noſolog. method. T. I. p.* 351.) pleuritides vere intermittentes obſervavit, ita ut homo alternis diebus atrociſſima pleuritide vexaretur, alternis nullo morbo teneri videretur. Non alia vero complicato tali morbo medela applicanda eſt, quam veris intermittentibus, & æque ac hæ cortice absque aliqua recidivatione certo tollitur, uti ſæpiſſime obſervavit MORTON (*l. c.*) & TORTI (*l. c. p.* 456.), & quidem eo citius cortex adhiberi oportet, quo luculentius apparet, inflammationem ex ipſa febre, ſpaſticas vaſorum ſtrictiones, indeque obſtructiones, & phlogoſes producente, unice pendere; niſi enim cito veram illam cauſam tollas, indies cum quaque febris acceſſione inflammatio augmentum capiet, & aucta obſtructione viſcerum inflammatoria, febris tandem in continuam gangræna inducta lethalem mutabitur, aut ſuppuratione eveniente phtiſica febris accedens dubiam ægri ſalutem reddet; cum e contra mature jugulata febre etiam cum hac inflammatio iſta facillime tolli, atque æger ſervari potuiſſet. Sic inflammationem veſicæ urinariæ obſervavit cl. OFTERDINGER, (*An-*

leit. f. d. Landvolk. p. 215.) verſus quam ſolita efficaciſſima antiphlogiſtica remedia nihil valebant, detecta vero morbi cum periodica febre complicatione, ideoque adhibito cortice, mox omnia inflammationis ſymptomata minuebantur, atrociſſimus dolor mitigabatur, urina antea ſuppreſſa libere ſtatim effluebat, atque æger coniinuato remedii cum antiphlogiſticis nupti uſu perfecte reſtituebatur. Et puerperam intermittentibus febribus pluries antea vexatam, nunc quotidiana graviſſimo cum iſchiadico dolore juncta correptam, ne minimo extra paroxyſmum dolore ſuperſtite, brevi præmiſſis evacuantibus cortice ſanatam legimus. (*Eſſays d'Edinbourg. T. V. p.* 143. *germ. vers.*) Memorabilem præſertim epidemiam febris rheumaticæ deſcribit cl. SARCONE, ſub qua multi peripneumonia ejusdem ſpeciei vere intermittente corripiebantur, ita ut febris ſimili modo ac tertiana duplex cum algore & horrore, laſſitutudine, capitis vehementi dolore, æſtu, ſiti, anxietate, oppreſſione pectoris, lateris dolore, tuſſi, ægros invaderet, inſequente tamen manifeſta remiſſione, aut perfecta intermiſſione, atque ſic per alternas exacerbationes & intermiſſiones pergeret, ad quintum vel ſextum usque diem, quo tandem in continuam abibat, & aucta pectoris oppreſſione & oppletione ægros nono, undecimo, aut decimoquarto morbi die necabat, niſi præmiſſis venæſectionibus & antiphlogiſticis, cog-

cognita periodica febris indole, cito & antequam in continuam ſebrim morbus mutabatur, cortex in primis febris intervallis adhibitus fuerit. (*Geſchichte d. Krankheiten &c. Th. I. p.* 224. 599.) Non ſine cautione tamen, & ſemper habito ad junctam inflammationem, partem ipſam affectam, junctam forſan cum vera cauſa diatheſin inflammatoriam aut bilioſam, conſtitutionem epidemicam regnantem, cortex adhibendus eſt; ita e. gr. in febribus intermittentibus cum inflammatione pectoris junctis, recte monet laudatus SARCONE, (*l. c.*) non propinandum eſſe, niſi manifeſta vel remiſſio vel intermiſſio adſit, & morbus adhuc in initio ſit, antequam nimirum inflammatio nimis fixam & profundam radicem figerit, quod ex ipſa manifeſtiore remiſſione facile concludi poteſt. Ubi enim per plures jam paroxyſmos febris duravit, neque cum febris paroxyſmo etiam inflammationis ſymptomata evaneſcunt, ſed potius inflammatio etiam in intervallis perdurat, pectus indies magis opprimitur, & crudis humoribus oppletur, adeo non juvat cortex, ut potius febris in continuam tranſitum promoveat, & inflammationem augendo, ſputa levantia ſupprimendo, lethalem ſuffocationem producat. Ab initio igitur & primis in paroxyſmis venæ ſectione, remediis alvum leniter ducentibus, fribrarum tenſionem emollientibus, ſanguinis inflammatoriam diatheſin ſolventibus, coacer-

vatas

vatas impuritates evacuantibus, reliquisque etiam externis efficaciſſimis remediis, fomentis, veſicatoriis, adhibitis, quæ inflammationis ulteriorem progreſſum arcere, febrisque remiſſionem promovere poſſunt, corpus prius ad febriſugi uſum præparandum eſt, atque tunc proximis febris intervallis, & larga quidem manu, & ſufficientibus doſibus cortex propinari, & eo usque continuari debet, usque dum febris & una cum hac complicata inflammatio perfecte ſublatæ ſunt, junctis pro rerum ſtatu, temperantibus, ſolventibus, expectorantibus, evacuantibus. Ubi vero inflammationis ſymptomata non remittunt, ſed nimis alte jam parti affectæ infixa per ſe exiſtentem morbum efficiant, antiphlogiſticis potius remediis, quaſi primarium morbum conſtitueret, tamdiu tractandus eſt, usque dum manifeſtiores redeuntes intermiſſiones corticis uſum permittant. Caveas igitur, ne ex ſola typi cujusdam obſervatione indicationem ad corticis uſum depromas, niſi vera & manifeſta remiſſio vel intermiſſio ſimul obſervetur; (SARCONE *l. c. p.* 231.) cum etiam aliæ cauſæ, præter illam febrium intermittentium, quandoque periodicam larvam morbis imponere poſſint; uti patet ex altera febris cujusdam peripneumonicæ vere periodicæ hiſtoria, quam idem cl. vir deſcribit, (*p.* 226.) in qua quidem quotidie manifeſtæ typicæ exacerbationes apparebant, ſub quibus omnia inflammationis ſigna

na augebantur, & poſt determinatum tempus ita iterum minuebantur, ut pulſus tardior, urina pallidior, ſudor copioſior, ſputa copioſora, dolores mitiores quidem redderentur, inflammatione tamen vere eadem ſemper perſiſtente, neque uti in prioribus cum quavis febris remiſſione critice ſoluta; ubi itaque etiam cortex adeo non juvabat, ut potius inde exacerbationes longiores & magis irregulares evaderent, coctio & criſis morbi manifeſte perturbarentur, temperantibus vero, emollientibus, ſolventibus, feliciter aut perfecte morbus ſolveretur, aut ita ad manifeſtam intermiſſionem redigeretur, ut ſecure nunc cortex adhiberi potuerit. Similes febres catarrhales epidemicas deſcribit Ill. DE STOERCK, (*Ann. med. II. p.* 174.) in quibus quotidie ſtata hora horripilationes, horrores cum æſtu, ſiti, tuſſi, reliquorumque ſymptomatum augmento redibant, & perfectas intermittentes ſimulabant, quibus vero adeo non conferebat cortex, ut potius paroxyſmi eadem ſemper hora redirent, anxietas vero & pectoris oppreſſio manifeſte augerentur, cum e contra emollientia, expectorantia, ſtaſes ſolvendo, ſputa facilitando, omnia ſymtomata levabant, & febrem tandem perfecte abigebant.

Aliquando cum exanthematibus febres intermittentes combinantur, idque iterum duplici modo. Aut enim febris intermittens & intermixta

mixta exanthematica, quævis peculiarem, ab altero minime pendentem, morbum ſiſtit; aut exanthemata apparentia ipſius febris intermittentis effectus & progenies ſunt.

Sic vera febris intermittens, tertiana ſimplex aut duplex, febri variolarum ſe comitem interdum adjungit, idque per totum quandoque morbi decurſum, qua complicatione varioloſus morbus neceſſario turbari debet, & periculoſus redditur, Igitur ubi id fit, corticem peruvianum, præmiſſa ventris laxatione, per debita intervalla, usque quo haud amplius revertuntur acceſſiones, dare convenit; neque ulla hinc metuendi cauſa, ne puſtularum maturationi medicamentum illud officiat; contra vero, cum nova hæc humorum perturbatio ſuppurationem impedire facile poſſet, ea repreſſa, conſueto ordine feliciter omnia ſuccedunt, (MEAD *Oper. med. T. I. de Variolis. p.* 57. TISSOT *Epiſt. ad Hall. in Opuſc. T. II. p.* 122. DIMSDALE *v. der Einpfropfung d. Poken. p.* 7.) Caveas interim ne febrim primam variolarum manifeſtius interdum remittentem pro intermittente habeas, longe aliis remediis quam cortice tractandam, uti poſtea, dum de variolis ſermo erit, videbimus.

Sic etiam, dum aliæ febres exanthematicæ epidemice graſſantur, etiam febres intermittentes inter-

interdum intercurrunt, vel cum ipſis complicantur. Qua in complicatione potiſſimum ad epidemici morbi genium reſpiciendum erit, cum & ab ejus natura plerumque participent, & eandem curationem expoſcant. Tali ratione morbo epidemico petechiale graſſante ſæpe febrem intermittentem intercurrere, petechiisque ſtipari obſervavit cl. STRACK, (*de morbo cum petechiis*) non aliam curationem poſtulantem, quam eam ipſam, quæ petechiali morbo maxime bilioſo feliciter opponebatur, nimirum per evacuantia alvina; ipſi petechiali morbo interdum, ubi febris aliquantum ardore ſuo remiſerat, acceſſiones vel quotidianæ vel tertianæ ſupervenibant, ſubmovebantur vero per eadem remedia, quibus ipſi petechiarum morbo ſuccurrebatur; in aliis ſuperato jam primario morbo intermittens febris ſuccedebat, ex reſiduis plerumque primarum viarum ſordibus, hinc non cortice, ſed ventrem purgantibus tollenda. Sic etiam eodem tempore, quo epidemia ſcarlatinæ bilioſo-putridæ febris regnabat, in ſenibus præcipue, remittentes & intermittentes ejusdem genii obſervavit WEIKARD, (*Obſerv. p.* 57.) in quibus ad libras etiam exhibitus cortex nihil juvaminis præſtiterat, evacuantia vero alvina omne tulerant punctum. Tertianam urticatam deſcribit PLANCHON, (*Journal de Med. An.* 1765.) in cujus acceſſionibus phlyctænæ urticatæ pruriginoſæ erumpebant, phlebotomia, eme-

emeticocatarticis, & tandem cortice chinæ tollendam.

Alias etiam cum variis morbis chronicis cacochymicis febrium periodicarum complicatio obſervatur, & ita quidem, ut hæc febris aut ex ſuis cauſis nata ab illis morbis non pendeat, ſuisque indicatis remediis tollenda ſit; aut vero maximam cauſæ ſuæ materialis partem in iſta cacochymia poſitam habeat, ideoque remediis iſti potiſſimum oppoſitis curanda ſit. Sic a materia rheumatica, arthritica, ſcorbutica, podagrica, varias febrium intermittentium ſpecies quandoque producuntur. ubi tamen remedia antifebrilia non juvant, ſed requiruntur talia, quæ in his affectionibus fere ſpecifica ſunt; (STOERCK *l. c. p.* 175.) niſi forſan ex ipſius corticis uſu cacochymiæ illius correctionem exſpectare liceret. Si e. gr. arthritis cum febri intermittente jungeretur, certis ſub conditionibus priorem morbum corticis uſum egregie ferre, infra videbimus, adeoque etiam hic ejus uſui adeo non obſtat, ut potius præmiſſis præmittendis, evacuantibus, ſolventibus, viſceralibus, niſi ipſo illa diſpoſitio morboſa penitus tollatur, naturæ tamen vires egregie roborentur, iisque reſiſtentia obſtacula removeantur, ut metaſtaticam depoſitionem iſtius materiæ morboſæ, ex cujus retentione febris forſan originem duxerat, juſte perficere poſſint. Sic

ſæpius

ſæpius in hominibus ex arthritica vel podagrica humorum cacochymia febre quartana correptis, curata per corticem febre, feliciter latentem antea & anomalum morbum reſurgere obſervavit MUSGRAVE. (*de Arthrit. ſympt. C. 9.*) Diſpoſitionis vero arthriticæ ſimul una cum febre feliciter ſublatæ egregium exemplum narrat WERLHOF, (*Oper. T. I. p. 97.*) feminæ nimirum ab octo jam annis dyſpepſia & artuum vagis doloribus exercitatæ, duplici nunc quartana cum arthritide vaga correptæ, quæ diaphoreticis, reſolventibus, ſanguinem depurantibus, demulcentibus, diu pertinaciter reſiſtebant; exhibito vero cortice cum lumbricorum terreſtrium pulvere, radice ari, ſimilibusque combinato, non ſolum febre, ſed & arthritica illa diſpoſitione ita liberatæ, ut menſes, appetitus vigor, priſtinus corporis habitus, vires redierint, vomitusque conſueti matutini penitus ceſſarint. Sic etiam MORTON (*Oper. T. I. p. 165. ſqq.*) exempla habet rheumatiſmorum cum febribus intermittentibus commixtorum, omnibus decantatis remediis reſiſtentium, cortice vero paucis diebus una cum febre ſanatorum.

Etiam aliæ humorum cacochymiæ, licet per corticem emendari nequeant, ſed ſpecifica ſua remedia expoſcant, ejus tamen uſum, ſi cum febribus periodicis complicantur, non ſemper reſpuunt,

unt, ſed potius utraque remedia egregie combinari ſinunt; quali combinatione interdum uterque morbus citius tollitur, cum antea remediis alterutro ſolum oppoſitis reſiſtebat. Sic e. gr. tres milites ſcabioſos ſimul febre tertiana correptos, diu fruſtra, mox demulcentibus, mox ſanguinem depurantibus, mox iterum antifebrilibus tractavit cl. MEDICUS, (*Samml. v. Beob. Th.* 2. S. 363.) ſublata quippe febre, redibat ſcabies, evaneſcente ſcabie redibat febris, nunc vero cortice cum mercurio & camphora nupto, & ſcabies & febris brevi ceſſarunt. Sic quoque ſi forſan febris ex ſcabie aliisve exanthematicis retropulſis morbis originem duxerit, ſoli cortici non cedit, niſi ſimul adhibitis iis remediis, quæ repulſam materiam aut iterum ad exteriora ducunt, aut ex corpore eliminant. Tali ratione in femina quadam fœda ſcabie affecta, quæ unguento quodam repellebatur, acuta febris oriebatur, tandem in tertianam intermittentem mutata, contra quam optima antifebrilia nil valebant, usque dum per congrua remedia ſcabies iterum ad cutim expellebatur, tunc enim demum febris antifebrilibus facile obediebat. Generatim febres illas, quæ germen exanthematum tantum maturare videntur, optime cellerrimeque armis exuit mercurius, alterando nempe & penitus mutando cauſam iſtam materialem, cum e contra cortice ſolo peſſime mutentur; formam quidem cortex delet,

delet, materia autem in corpore relicta, ad alias & vel nobiliores partes metaſtatico modo, ſi non ſtatim, temporis tamen tractu transfertur, & in mitiore caſu aut in ſpinam ventoſam oſſiumve cariem; in pejore in varias phtiſeos hecticæque ſpecies, tranſeunt. (LENTIN *Obſerv. Faſc. II. p.* 65.) Sic quoque ubi cum venerea labe conjunctæ ſunt febres, & ita quidem ut ab ipſo illo veneno febris foveatur, fruſtra ex cortice opem exſpectamus, quæ unice ex ſpecifica mali iſtius medela obtinetur, quæ una cum morbo aphrodiſiaco ſimul febrim tollet, uti in ægro quodam quartana & lue venerea ſimul affecto vidit cl. MONRO; (*Eſſays d'Edinb. Vol. V. obſ.* 47.) fruſtra enim remedia adverſus febrim præſcribebantur, ita ut potius venereum morbum graviorem redderent; præſcripto vero mercurio dulci ad ſalivationem usque continuato, poſt unicum adhuc paroxyſmum & febris & ſymptomata venerea ceſſarunt; qualia ſimilia exempla referunt BALLONIUS (*Oper. T. II. p.* 97. 117.) DEIDIER (*de morb. vener. obſ.* 4.). Cum vero iterum ſolum venenum venereum raro per ſe, ſed tantum in conjunctione cum cauſa iſta febrium intermittentium febrim producat; alias etiam febris minime a cacochymia illa pendeat, ſed acceſſorius tantum morbus ſit, hinc majore cum effectu utumque remedium combinatur, ut eodem tempore utraque cauſa eo certius tollatur; ex quali

combinatione feliciſſimos ſucceſſus viderunt WERLHOF, (*l. c. p.* 133.) THEDEN (*Unterricht für Wundärzte. p.* 171.) aliique.

Si, quod in locis paludoſis, maritimis, præſertim contingit, ſcorbutus putridus febri intermittenti admixtus eſt, quod ex foetore & eroſione gingivarum, ſiti, urina profunde colorata, pruritu & exanthematibus fervidis cutis, doloribus muſculorum, ulceribus late ſerpentibus, rebelli pertinacia febris contra ſalutarem corticis uſum cognoſcitur; tum cortici peruviano acida & inprimis oleum vitrioli adjungenda ſunt; acida enim vegetabilia raro ſatis fortia ſunt, ut materiam ſanguinis putreſcentem, & febre continuata ſuſtentatam perpetuoque auctam ſufficienter immutare queant; cum inſuper tonica & adſtringens acidi vitriolici virtus ipſam vim antifebrilem corticis adaugeat. (RAYMOND *Diſſ. de febr. intermitt. Mittelburg.* §. 24. *in Collect. Balding. T. I. p.* 40.)

Si icterus febris intermittentis vel comes eſſet, vel pediſſequus, ad cauſas hujus affectionis complicatæ bene reſpiciendum eſt; ſunt enim quæ corticis uſum contraindicant, ſunt qui eum omnino admittunt. Frequenter enim nil mali arguit, ſed uti quibusdam in paroxyſmis cardialgiæ, vomitus, ex partiali ventriculi vicinarumque partium ſpaſmo, præſertim ſi fomes febris

bris in primis viis hæret, contingunt, ſic in aliis quandoque icterus enaſcitur, ubi nimirum ſpasmus iſte ad viſcera biliaria propagatur, indeque excretionem bilis ſufflaminat, quæ ideo, quacunqne id tandem ratione fiat, humoribus admiſcetur, & per totum corpus, vaſaque cutanea diffunditur; forſitan ſub ſimilibus ſpaſticis inteſtinorum ſtricturis contenta colluviei bilioſæ pars per vaſcula reſorbentia ad ſanguinem defertur; hinc etiam plerumque finito paroxyſmo aut ſenſim ſponte evaneſcit, aut diarrhæa ſive ſpontanea ſive artefacta tollitur; (BROCKLESBY *l. c. p.* 180. BRÜNING *Tract. de Ictero p.* 311) neque peculiarem medendi methodum hoc ſymptoma ſibi expoſcit, niſi ut ſub ipſis paroxyſmis ſpaſmorum internorum vehementia, diluentibus, emollientibus, anodynis, mitigetur, in intervallis vero, cum nauſea, anorexia, vomiturītiones, diarrhϾ bilioſæ, colluviem inteſtinalem ſatis manifeſte arguant, incidentibus, digeſtivis, evacuantibus, ſordes iſtæ corrigantur & educantur. (MONRO *l. c. p.* 157.) Ubi vero hac adhibita medela, ictericus color in intervallis quidem febris evaneſcat, cum quovis vero paroxyſmo novas ſpaſticas contractiones excitante redeat, non ab alio niſi ab ipſo cortice exſpectandum erit auxilium, qui hunc icterum vere ſpaſticum æque certo ac ipſam febrim, cujus comes eſt, tollet; ſub continuato enim ipſius uſu

 robo-

roboratis inſuper ſpaſmorum vi relaxatis ductuum biliariorum vaſculis, in priſtinum ordinem bilis ſecretio & excretio redibit, & naturalem colorem cutis iterum induet. (WERLHOF *l. c. T. I. p.* 102. BROCKLESBY *l. c.*) Taxanda igitur quorundam nimia meticuloſitas, qui, modo oculi aliquid ſubflavi oſtendant, a cortice abſtinendum eſſe docent; ſi enim propter ſpaſticum hunc icterum febris vel ſibi permittitur, vel ſaltem neglecto corticis uſu nimis diu protrahitur, ſub quovis paroxyſmo nova bilis portio ſanguini traditur, ita ut ſenſim ſanguis cacochymiam biliosam inducat, unde plura damna, quæ maturo corticis uſu præcaveri potuiſſent. (CLEGHORN *l. c. p.* 205. MONRO *l. c. p.* 158.) Alia res eſt, ſi icterus poſt febris diuturnitatem ſequatur, etiam in intervallis febris appareat & augeatur, ægri de anxietatibus & oppreſſionibus ad ſcorbiculum cordis, appetitu deleto, abdominis tumore, duritie, etiam extra paroxyſmum perſiſtentibus conquerantur, & omnia hæc mala ex corticis uſu increſcant; tum enim viſcerum, hepatis præſertim, obſtructiones ſuſpicari licet; atque cortice abſtinendum, ſolventibus vero, ſalibus, gummatibus, extractis, ſaponibus, interpoſitis lenioribus evacuantibus, inunctionibus, frictionibus, emplaſtris reſolventibus, pergendum, donec icterus evaneſcat, abdominis mollities, appetitus, vires redeant, reſeratasque viſ-

cerum

cerum obſtructiones indicent. (QUARIN *l. c. p.* 133.) Si vero ſumma ægri debilitas citiorem corticis uſum poſtularet, atque metuendum eſſet, ne ex ipſo febris frequentiori reditu obſtructiones iſtæ continuo augerentur & magis irreſolubiles redderentur, tunc prudens corticis cum ſolventibus, ſale ammoniaco, rhabarbaro, ſapone veneto & ſimilibus, combinatio adhiberi oportet, ut febris quidem tollatur, neque tamen damna illa inferantur, quæ ex ſolius corticis præmaturo uſu contingere potuiſſent.

Eadem ratione inflationes iſtæ abdominis, vel univerſales tympaniticæ, vel particulares in ſiniſtro inprimis hypochondrio contingentes, placentæ dictæ febriles, quæ febres curatas interdum excipiunt, vel etiam comitantur, dijudicari & tolli debent. Sæpe euim ſpaſticarum inteſtinorum his illisve locis contractionum, locorum hinc intermediorum diſtenſionum, vel laxitatis inteſtinorum ab ipſa febre reſiduæ effectus ſunt, & per continuatum corticis cum antiſpasmodicis, aromatibus, leniter adſtringentibus, nupti uſum, tincturam v. g. corticis peruviani volatilem cum tinctura caſcarillæ, cinnamomi, caſtorei mixtam, (GRAINGER *l. c. p.* 149) facile cedunt. In aliis relictæ adhuc colluviei климатіoſæ, vel cruditatum ex cibis ob nondum ſatis integre reſtitutas digeſtionis vires generatarum, ſigna manifeſta ad-

ſunt, in quibus aut corticem cum lenioribus alvum ducentibus conjungere, aut melius ipſius uſui evacuans quoddam lene interponere convenit. (MONRO *l. c. p.* 168.) Vel tandem induratorum & ſcirrhoſorum viſcerum & vitiatæ exinde menſtruorum illorum digeſtioni inſervientium vel quantitatis vel qualitatis ſequelæ ſunt, per iteratum aperientium, ſolventium viſceralium, interpoſitum evacuantium atque ſubjunctum tandem corticis, laxiora poſt ſtaſes ſolutas viſcera roborantis, uſum tollendæ. (MONRO *l. c. p.* 163. BROCKLESBY *l. c. p.* 178.)

Interdum febris intermittens cum hydrope vel aſcitide vel anaſarca, conjuncta eſt; quo in caſu iterum cauſæ horum ſymptomatum ſollicite rimandæ ſunt. Ubi enim hydrops vel effectus ſpasmorum ſyſtema venoſum, abdominis præſertim, non minus quam ceteras partes vexantium, reſorbtionem forſan laticis illius aquoſi in cavitates & cellulas corporis depoſiti impedientium, vel effectus atoniæ vaſorum eſſet, per ipſam febris vehementiam, diuturnitatem, remediorum ſolventium, præſertim vero evacuantium, abuſum ſenſim inductæ; nulla ſigna adeſſent, ex quibus graviora viſcerum vitia, obſtructiones, ſcirrhi concludi, & tanquam vera cauſa hydropici tumoris accuſari poſſent; ipſa febris indies ægrum magis debilitaret; unde continuum hydropis augmentum;

mentum; in hoc certe caſu nocebunt, quæcunque obſtructionibus falſo ſuſpicatis, ſeroque extravaſato evacuando dicata ſunt remedia aperientia, purgantia; aucta enim iſtis remediis vaſorum laxitate & magis adhuc debilitatis viribus, febris profundius radices aget, neque tamen hydrops amovebitur. (SYDENHAM *l. c. p.* 120.) Unicum in corticis uſu erit præſidium; hic enim non ſolum febrim fugando ulteriorem hydropis tanquam effectus ſui progreſſum præſcindet; ſed etiam roborando laxatas partes liquidum illud cellulis vel cavitatibus corporis extravaſatum ſive per alvum, ſive per urinam educet; qualia felicia hydropum febricoſorum per corticem ſanatorum exempla deſcribunt RESTAURANDUS (*de uſu Chinæ c.* 12.) TORTI (*l. c. p.* 119. BRUNNER (*A. N. C. Vol. I. p.* 128) HEISTER (*Diſſ. de Quart. & Hydrope p. Cort. ſan Helmſt.* 1740.) BERGER (*Diſſ. cit. p.* 35.) STOERCK (*Ann. med. T. I. p.* 80.) BACK (*Schvved. Abhandl. T. XVI. n.* 2.) BROCKLESBY (*l. c p.* 185.) LIND (*l. c. p.* 272.) aliique. Præmiſſis igitur quæ vias iſtas, per quas aquæ commode exire poſſint, aperiunt, remediis diureticis, lenioribus alvum ducentibus, diaphoreticis, ſtatim ad corticis cum ipſis illis remediis combinati, v. g. cum radice ſcillæ, (MEDICUS *l. c. T. II. p.* 184) uſum accedemus, eique inſiſtemus, usque dum una cum febre ſimul etiam hydropici illi tumores ſublati

 atque

atque æger ad perfectam ſanitatem reſtitutus fuerit. Et ſi poſt hydropem fugatum febris iterum rediret, quæ tamen recidivæ plerumque ſine tumoris reditu contingunt, ob eandem rationem iſta reiiterato Corticis uſu mox ſiſtenda erit, ne denuo iisdem ex cauſis hydrops, isque ob inductas tandem viſcerum indurationes, immedicabilis redeat. (TORTI *l. c. p.* 120. LIND *l. c. p.* 273.) Si vero iſta ſymptomata manifeſte ex viſcerum obſtructionibus originem ducant, quod ex facie tumida flaveſcente, ſpiritus fœtore, tuſſi, præcordiorum dolore, paroxyſmorum anomalia, neceſſariarum evacuationum omiſſione, ceterisque infarctorum viſcerum ſignis prægreſſis facile patet; tunc præſtat quidem, modo vires ſufficiant, aperientium viſceralium atque evacuantium vim experiri, antequam ad corticis uſum accedamus; (BROCLESBY *l. c. p.* 185.) & febrim mitiorem ſibi per aliquod adhuc tempus relinquere, ſpe freti, ipſas febriles commotiones reſolventium remediorum efficaciam ſuſtentaturas atque ſtaſium reſolutionem promoturas eſſe. Cavendum tamen, ne huic ſpei nimis indulgendo, opportunum ægrum corticis ope ſervandi tempus negligamus. Licet enim febres leviores obſtructiones interdum egregie reſeraverint, multo ſæpius tamen contingit, quod obſtructiones magis compingant, putredinem foveant, vires penitus conſumant, atque mortem accelerent. (TISSOT *de hydrope. Opuſc.*

Opuſc. T. II. p. 194.) Si itaque febris jam diu duraverit, vehemens fuerit, atque ex ea ipſa febris vehementia, paroxyſmorum anomalia, tumoris augmento, viriumque decremento continuo, obſtructionum incrementum potius quam incipientem reſolutionem aperte videamus, ſtatim, non obſtantibus obſtructionibus, ad corticis uſum accedemus. Binis enim morbis citius occumbit æger, quam uni. Quin hac morbi potiſſima cauſa ſublata, etiam alter morbus ſtatim decreſcere incipit, ita ut anaſarca, hydrops, ſenſim disparеant, vires atque appetitus redeant; ſaltem reliqua remedia, obſtructionibus ſolvendis oppoſita exoptatiſſimum nunc effectum præſtent. (LIND *l. c.* STOERCK *Ann. med. I. p.* 81.) Unicum exemplum egregii corticis in tali complicato ſtatu afferam, quod narrat WERLHOF; mulieris nimirum quadragenariæ, quæ a biennio quartanam toleraverat, & ab eo tempore menſium obſtructione, dyſuria, & tumore hydropico afflicta fuit; eo ſenſim intumuerant pedes, abdomen, facies, ut inceſſum fere prohiberet moles corporis, reſpiratio anhela, typum interim ſervante febre immota, vocatus clariſſimus vir ter mane ante paroxyſmum pomeridianum aquam benedictam Rulandi propinabat, quæ per ſuperiora & inferiora aquam evacuabat cum inſigni tumoris imminutione, & inſequente a tertio inde paroxyſmo largiſſimo ſudore, antea ſemper ſuppreſſo; ab eo

tem-

tempore ægra electuario ex cortice chinæ cum radice helenii, ſale ammoniaco, vitriolo martis & roob juniperi parato eo cum ſucceſſu utebatur, ut, febre penitus fugata, faciei vividus color redierit, reſpiratio liberior evaſerit, urinæ limpidæ copia expulſa abdomen detumuerit, molimina menſium apparuerint, atque poſtmiſſo & continuato tum aperientium evacuantium, tum ipſius corticis uſu ægra perfecte convaluerit. (*l. c. T. I. p.* 101.)

Tandem cum Phtiſi febres intermittentes interdum complicantur, atque quæſtio jam ſæpius mota eſt, num talibus ægris ob junctam febrim corticem propinare liceat, cum optimi auctores doceant, abſtinendum eſſe a cortice, ſi vel minima ſuſpicio collecti alicubi puris adſit. (BOERHAAVE *Aphor.* §. 767. V. SWIETEN *Comment. T. II. p.* 564.) Probe in talibus ægris inquirendum eſt, an febris iſta cum phtiſi juncta vera intermittens ſit, num vero hectici generis, manifeſtioribus tantum remiſſionibus intermittentem veram ſimulans. Febris enim illa phtiſica, quæ vulgo quotidie ægros certo diei tempore cum horrore quodam invadit, & cum intenſo calore juncta tuſſi & anhelatione progreditur, tandemque in ſudores iſtos perfuſos & colliquativos finitur; manifeſtiori interdum algore & rigore, caloris intenſitate, decurſu non quotidiano ſemper, ſed

ſed in quibusdam tertiano, quartano, intermiſſione manifeſta, adeo quandoque febrium verarum intermittentium naturam mentitur, ut facile corticis vires tentandi permoveri quis poſſet; cum tamen, qualemcunque nunc periodum habeat, non a ſpecifica illa intermittentium cauſa cortice tollenda enaſcatur, ſed a periodicis iſtis ſuppuratoriis, quæ in affecto viſcere contingunt, moliminibus, quæ cortice adeo non ſupprimi poſſunt, ut potius ex ejus uſu peſſime ſe plerumque habeant ægri, febris augeatur, pectoris oppreſſio, tuſſis, anxietates augeantur. Ante aliquot menſes in chirurgiæ ſtudioſo ex tuberculis pulmonum phtiſico talem febrim obſervare mihi contigit, quæ quarto quovis die veſperi ſine horrore, at cum urente æſtu, anxietatibus, pectoris oppreſſione, ſputorum ſuppreſſione, ſiti invadebat, & cum largis ſudoribus finiebatur, in intermediis diebus ne minimis febriculæ iſtius ſignis apparentibus; cum aliquoties paroxyſmi rediiſſent, anxius æger, ne quam quartanam eſſe credebat febris in phtiſicam tranſiret, cortice ut mox tollerem adeo enixe a me petiit, ut tandem ipſi juxta uſum ſolutionis gummi ammoniaci in oxymelle ſcillitico corticis infuſum frigidum largiter potandum concederem; neque ullum inde damnum æger ſentiebat, febris vero immutata perſiſtebat; corticem deinde in ſubſtantia præſcripſi, at anxietas magna, frequentior & ſiccior tuſſis, ſomnus

nus inquietior, appetitus minor, ſtatim ex primis corticis doſibus ſine ulla febris mutatione evenientia, ab ulteriore remedii continuatione deſiſtendum eſſe monebant; ſerum lactis cum plantis pectoralibus infuſum poſtea febrim perfecte tollebat, & ſimul phtiſeos ſymptomata minuebat, ut hucusque negotiis ſuis libere fungi poſſit. Quæ ergo febres intermittentes in phtiſicis ex ipſa viſcerum purulentia originem ducunt, eæ neque corticis peruviani neque cujusvis alius medicamenti ſpecifici ope radicitus exſtirpari poſſunt, niſi ulcus adeo fuerit benignum, ut balſamica corticis virtute ſanari, ipſaque ſanguinis maſſa, in cujus purulenta diatheſi febris fomes deliteſcit, in meliorem ſtatum reduci poſſit, (MORTON *Op. T. I. p.* 59.) quod quatenus per corticem effici poſſit, infra videbimus. Ponamus vero in viſceribus cujusdam hucusque ſani jam diu occultam vomicam latuiſſe, quæ fortuito nunc invadentis febris intermittentis vi atque impetu rumpitur, & phtiſeos veræ ſymptomata cum intermittente febre juncta producit, vel ægrum quendam jam diu vere phtiſicum epidemica quadam intermittente nunc ſimul corripi, nonne prior phtiſicus morbus accedente hac febre, præſertim ſi vehemens fuerit atque diuturna, neceſſario deterior reddetur, exulceratio, putredo augebitur, & vel ex hoc vel ex valida hæmoptyſi mors accelerabitur? In his ergo caſibus, cum ſummum pericu-

lum

lum ex acceſſoria hac febre pertimeſcendum ſit, ſummo ſtudio curandum erit, ut hæc ocyus tollatur. Quin adeo non noxium hic eſſe corticis uſum, ut potius non febrim ſolum tollat, ſed etiam cum congruis remediis junctus prioris morbi curationem facilitet atque promoveat, egregio exemplo WERLHOF demonſtravit, viri nobilis, inde a multis annis, tuſſi ſicca, hæmoptyſi, ſputo purulento, appetitus & virium languore, febricula tabida vexati, febre nunc intermittente tertiana vera correpti; adverſus quam ob juſtum periculi metum, poſt duas acceſſiones ſtatim cortex miniſtrabatur, & ea quidem cum felicitate continuabatur, cum ſyrupo diacodii in electuarium mixtus, ut ceſſante febre, robur indies corpori acceſſerit, veteri morbo deceſſerit, & repetito aliquoties ex methodo per alternas hebdomadas curationis filo, non febris ſolum conſtanter abfuerit, ſed æger adeo per omnia melius ſe habuerit, ut per tres adhuc continuos menſes ter quotidie doſin electuarii ſumere perſeveraverit, addito balſamo antiphtiſico Meibomii, & ſubjuncto tandem aquæ ſelteranæ cum lacte uſu, exinde ſanus vegetusque ſine tuſſi, catarrhis, aliisve phtiſeos ſymptomatibus, munere ſuo militari ſub quibusvis aeris injuriis fungi potuerit. (*Op. T. I. p.* 248.) Contingit tandem, quod phtiſes atque hecticæ febres intermittentes excipiant, inductis ſenſim per febris diuturnitatem humo-

humorum cacochymia, ſolidorum relaxatione, indeque viſcerum obſtructionibus atque exulcerationibus. Signum talium phtiſium pathognomonicum eſt, quod ab ipſis morbi primordiis paroxyſmus febrilis quotidianus, tertianus, quartanus, pro morbi ſcilicet originalis peculiari genio, febri hecticæ ſemper conjunctus ſit, una cum tuſſi, dyſpnœa, ſputis purulentis, ceterisque phtiſeos ſignis; in tali morbo cortex peruvianus remediis thoracicis copioſe admiſcendus eſt, cum multi a deplorata hujusmodi phtiſi intra tres quatuorve hebdomadas corticis una alterave uncia, etiam ſine ullo alio addito medicamento pulmonari, ſanati fuerint, nullus vero vel diligentiſſimo antiphtiſicorum ſine corticis admixtione uſu, fomitem nimirum morbi, larvatam nempe iſtam ſebrim intermittentem non attingentium, unquam curatus ſuerit. (MORTON *Op. T. I. p.* 172. NEBEL *A. N. C. Vol. V. obſ.* 15.)

CAPUT III.

Uſus Corticis in Febribus intermittentibus malignis.

Pervenimus nunc ad uſum corticis in febribus intermittentibus, quæ ſub malignarum, proteiformium, perniciosarum, nomine occurrunt; quæ nimi-

nimirum communi malignarum febrium more citius multo, quam morbi tempus poſtulat, vires præcipue animales ſubito proſternunt, & poſt unam alteramve acceſſionem mitiorem, derepente vel mox ab initio habitum continuarum inducunt, & graviſſima ſibi adjungunt mala, quæ mortem minitantur, & niſi cito febris tolli poſſit, certam ſequente uno alterove paroxyſmo inferunt. Quorum quidem malignorum ſymptomatum varias diverſitates obſervarunt Medici, ita ut in aliis ſoporem lethargicum, apoplexiam, in aliis motus convulſivos epilepticos, vel tuſſes & aſthmata moleſtiſſima, ſyncopes, vel vehementes cardialgias, vomitus, alvi fluxus, vel ſudores præcoces frigidos colliquativos, vel algores producant; hinc etiam variis febrium ſoporoſarum, apoplecticarum, convulſivarum, aſthmaticarum, cardialgicarum, cholericarum, dyſentericarum, cardiacarum, ſyncopalium, algidarum, cognominibus diſtinguantur; in eo ceterum conveniant, quod epidemice plerumque graſſentur, & cum omnibus aliis epidemicis morbis commune illud habeant, quod in ejusdem licet epidemiæ decurſu diverſis tamen annis, & diverſis ejusdem anni temporibus, diverſos quoque mores atque ſymptomata affectare ſoleant; id vero peculiare præ cunctis aliis popularibus febribus habeant, quod, cum illæ non ſolum pro diverſitate conſtitutionis, & locorum, ſed in ejusdem etiam

epidemiæ curſu iidem quoad habitum & mores in eadem plaga graſſantes morbi, multo tamen diverſam hoc quam alio tempore medelam poſtulent; hæ contra febres intermittentes, vel de earum genere remittentes epidemicæ, quocunque colore ubiquaque ludant, quorumcunque vel perniciofiſſimorum morborum larvam induant, naturamque ſimulent, eodem tamen plane, atque unico remedio, peruviano nempe cortice, nullo non tempore certo certius jugulentur; cujus veritatis infallibiles teſtes SYDENHAMUM, MORTONUM, TORTUM, WERLHOFIUM, HUXHAMUM, GALEATIUM, MEDICUM, LAUTTERUM, CLEGHORNIUM, nominaſſe ſufficit; qui innumeros fere ægros ab imminente ex ejusmodi malignis febribus certiſſimo interitu, unius corticis ope feliciſſime atque certiſſime vindicarunt.

Ipſe vero modus, quo febres hæ perniciofæ invadunt, diverſus eſt. Nunc enim ſubito ſub graviſſimorum dictorum morborum ſpecie tragœdiam inchoant, & niſi cito & efficaciter ſuccurratnr, ad lethalem finem perducunt. Alias vero benignarum intermittentium, vel remittentium, tertianarum, quotidianarum, quartanarum more incipiunt, & prægreſſis mitioribus aliquot paroxyſmis grave quoddam & periculoſum ſymptoma ſibi adſociant, quod inſequente paroxyſmo ita

ita augetur, ut e. gr. cardialgia in validam ſyncopen, coma in carum mutetur, ægrumque vel ſtatim trucidet, vel in maximum ſaltem vitæ periculum conjiciat, futura exacerbatione ſine dubio perimendum. Cum igitur ſummum atque certiſſimum iſtarum febrium periculum ſit, plurimum intereſt, ut non ſolum æque certa medendi methodus habeatur, ſed etiam ſigna certiſſima ex traditis hujus febris obſervationibus eruantur, quibus vel inſtantem morbum mature dignoſcas, antequam ad ſummum vigorem evectus inopinato in mortem tranſeat. Varia vero talia ſigna traduntur, quibus ſtatim primo acceſſu periculum divinare poſſimus; qualia ſunt, ſi æger ſub ſtatu talium febrium epidemico in priorum benigniorum paroxyſmo aliquo debilis, ſopitus præter naturam, aut cardialgia affectus fuerit, ſed quæ cum febris acceſſione declinarint, remanente tamen per apyrexiam inſolita capitis ſtupiditate; ſi urinæ craſſæ, coloris intenſi, ſubfuſci, lixivii, nigri, innatante quaſi pinguedine aliqua, valde fœtentes, cum frequenti micturitione & dyſuria aut ſtranguria prodeuntes; vel ſanguis vena eductus variegatus, putridus cum ſero copioſiſſimo, aut in liquamen ſpiſſius, aut cruſtam pleuriticam coagulatus; dolores & tenſiones hypochondriorum ceteraque ſigna conſpiciantur, quæ hepar præſertim ac cerebrum male affecta indicent; (WERLHOF *T. I. p. 67.*) quæ quidem ſigna, utut in

quibusdam ſpeciebus frequenter occurrant, recte tamen monente LAUTTERO, pathognomonica non ſunt, cum tum urinæ ſedimentum lateritium vel alia enarrata ex urina ſigna quandoque deſiderentur, ſigna vero ex ſanguine, cujus miſſio non ſemper indicetnr, raro haberi poſſint — Saniſſimi interdum, neque prægreſſa incongrua medela neglecti, neque hepate nec cerebro affecti, dominante epidemia corripiantur; & quidem interdum ſubito, absque præcedente intermittentis aut remittentis cujusdam febris periodo; in quibusdam æque perfecta apyrexia ac in reliquis intermittentibus acceſſionem ſequatur, ita ut finito paroxyſmo nullam omnino moleſtiam, nullum ſtuporem, cardialgiam, diarrhæam, ægri conquerantur, reſpiratione ſana, vigentibus viribus & appetitu, ut non ſolum de lecto ſurgant, ſed etiam negotia ſua commode peragant, ſequente vero acceſſione mortem oppetant inexſpectatam — cum tandem & ſporadice occurrant, vel in quodam ægro periodum primo inchoet epidemia — ita ut ſigna iſta omnino aut deeſſe aut fallere poſſint. Optima igitur HUXHAMI norma, (*Op. T. II. p.* 34, 35.) qui potiſſimum ad morbi decurſum diligenter advertit animum, quem ſi periodicum una, alterave vice deprehendit, cortice quantocyus uſus eſt, non exſpectato urinæ ſigno. Si itaque, quod plerumque obtinet, malignæ hæ febres, decurſa aliquoties ſua periodo, intermittentis,

tis, vel remittentis cujusdam typum manifeſto prodiderunt, & quamvis mites primis in acceſſibus, atque ſecuræ viſæ, tertio vero, quarto, quintove paroxyſmo, inſolitum quoddam ac grave ſymptoma, ſoporem profundiorem, cardialgiam vehementem, animi deliquium, vomitum, aut diarrhæam frequentem & vires notabiliter proſternentem, ſecum habeant; ſive penitus cum febre illud ſymptoma ceſſet, atque intermittat, ſive perduret, paulo mitigatum, & tantum remittat; ſeu ſedimentum lateritium gerat lotium, ſeu minus; ſive epidemica talis eo tempore dominetur conſtitutio, ſive ſporadice incedant; minime amplius feriandum eſt, ſed illico apyrexiæ aut remiſſionis intervallo ſufficiens peruviani corticis quantitas exhibenda, ne, ægro ſequente exacerbatione enecto, turpe illud Medici ſuperſit effugium; quis hoc credidiſſet? Si vero morbus ſtatim cum graviorum iſtorum ſymptomatum aliquo incipiat, neque vel ex urinæ ſigno vel epidemica conſtitutione ulla perniciosæ intermittentis eſſe poteſt ſuſpicio, morbum quidem prout apparet aggrediemur; dum autem die ſequenti, tertia, quarta, iſta ſymptomata exacerbantur, denuoque remittant, aut aboleantur, nil eſt, quod amplius exſpectemus, cum ſufficiens ratio adſit, propter quam febrim, ex periodico decurſu jam manifeſtam, cortice quantocyus expugnemus — Verum ſi morbi prima,

 vel

vel altera die facies obſcura eſſet, urina vero lateritium vehat ſedimentum, aut ſimilis dominetur epidemia, merito oriri oportet ſuſpicio tectæ ejusmodi ac malignæ febris, cortice ſine mora jugulandæ. Denique ſi homo ſanus antea apoplexia forti ſubito ſternatur, aut enormi cholera viribus & humoribus paucis horis exhauriatur, die vero altera adeo ſolvantur hæc ſymptomata, ut nonniſi loquelæ difficultas, & ſtupor ſenſuum remaneat aliquis, vel in poſteriore caſu moderata alvi dejectio, dummodo in caſu ſimili ſignum illud urinæ adſit, vel perницioſarum intermittentium remittentiumve tum regnet epidemia, malignam ejusmodi ſubeſſe febrim, omnino eſt, quod ſuſpicemur, ideoque non exſpectando paparoxyſmum futurum, corticem ſine mora exhibeamus. (LAUTTER *l. c. p.* 175. *ſqq.*)

Omnium ergo minime in hiſce febribus periculoſis longas exſpectationes ſibi proponere, & de febre tantiſper ſibi relinquenda cogitare licet, cum præſens certumque periculum certiſſimam æque ac citiſſimam medelam expoſcat, nimisque procraſtinato corticis uſu, non ægrotum, ſed reſolutos pene illius cineres curandos ſuſciperes, ut cum LANCISIO loquar. (*de nox. palud. effluv. p.* 308.) Quotquot itaque adeſſent ſive plenitudinis, ſive impuritatum, ſive congeſtionum, ſive obſtructionum ſigna, medelæ evacuantis,

ape-

aperientis præmiſſionem aliàs indicantia, ad ea niſi ſatis longum usque ad proximum paroxyſmum ſuperſit temporis ſpatium, minime attendendum, ne per infructuoſa molimina potiori indicationi explendæ locus tempusque præripiatur, ſed his unice præmiſſis, quæ corticis virtutem certiorem adhuc reddere poſſunt, atque impedimenta, quæ forſan ejus efficaciam minuerent & retardarent, removent, ſtatim ad corticis uſum accedendum eſt, proportionem æquam inter affectus velocitatem, magnitudinem, ſpecificique medicamenti doſin, repetitionem, continuationem rite obſervantes; ſic enim certiſſime periculum amovebitur, ſequens lethalis forſan paroxysmus ſuffocabitur, ita ut nunc nil ſuperſit, quam ut & reliquas morboſas conditiones, ſive febris cauſæ ſive potius effectus ſint, ſuis quasque remediis aggredi, atque remediorum ab ipſis indicatorum prudenti poſtmiſſione & ulterius continuato corticis uſu ægrum a futura recidiva ſecurum reddere, priſtinæque ſanitati reſtituere conemur. (WERLHOF. TORTI. CLEGHORN. *l. l. c. c.*) Qua vero ratione cortex in hiſce febribus adminiſtrari debeat; quænam ipſi aut præmitti, aut adjungi; quæ curatio palliativa in ipſo paroxyſmo; quænam poſt febrim feliciter debellatam poſtmitti debeant; id ex ægroti propria conditione, & ſymptomatum iſtorum pernicioſorum natura pendebit.

 Ubi

Ubi ergo ad ægrum ſoporoſa vel apoplectica febre decumbentem vocaremur, in ipſo quidem paroxyſmo non alia remedia adhiberi debent, quam quæ præſens periculum amoliri, ſummum virium animalium oppreſſionis gradum arcere, criſin acceſſionis felicem promovere, efficaciſſime valent. Venæſectione pro plethoræ, orgaſmi & virium ratione, plethoram minuere, inflammationes præpedire; clysmatibus alvum aperientibus, ſcarificationibus, hirudinibus orgasmum ſanguinis & congeſtionem particularem verſus caput minuere; remediis temperantibus, acidis, tempus & ſitim fallere, calorem & putredinem moderari; frictionibus, ſinapiſmis, veſicatoriis aliisque excitantibus & epiſpaſticis ægrum ſopore aut apoplexia jam oppreſſum excitare ſtudebimus, atque cum his ſimilibusque tentaminibus tempori paroxyſmum tandem finienti rem relinquemus. Exacto feliciter paroxyſmo, reſpiciemus ad ſequentis acceſſionis metuendam ferociam, magnitudinem & certitudinem imminentis periculi; neque tempus corticis uſui opportunum per alia molimina præripi patiemur, niſi ea omnino videantur neceſſaria. Ubi itaque evacuatio quædam videretur neceſſaria, & intervallum inter acceſſiones ſatis longum, ita ut poſt iſtam indicatam evacuationem ſufficiens nihilominus corticis quantitas ad ſupprimendum ſequentem febris inſultum ingeri poſſit, eam mox inſtituemus. Venæ-

ſectio-

ſectione ſive antea ommiſſa ſive ex indicatione repetenda ſanguinis copiam vel orgaſmum minuemus; ſi quam per ſuperiora purgationem indicarent turgentis colluviei ſigna, ipſam emetico leni, antimoniali præſertim, quod natura inclinante per inferiora ſimul blande ſordes educit, velociter & tuto ſatis operatur, peragemus; dein alvum, ubi id requiritur, vel enematibus ſolis, vel pulpa tamarindorum lactis ſero ſoluta, vel ſalibus mediis, vel ſimili remedio minime irritante, refrigerante, neque alvum adſtrictam deinde relinquente, ſolvemus. Finita dictorum remediorum operatione ad largiorem nunc corticis uſum accedere non cunctabimur; ita ut drachmam integram pulveris quavis tertia vel altera vel quavis hora ægro præbeamus, eo quidem modo quo minime nauſeoſo deglutire ipſum queat; ſic tamen, ut uncia vel etiam amplius in intervallo hocce aſſumta inſtantem paroxyſmum vel penitus avertat, vel certe periculum amoliatur. Ubi enim vel minores, quam ſatis eſt, pulveris corticis doſes, vel debiliores illius præparationes propinarentur, idem forſan accideret, quod in benignis, ut nimirum inſtans paroxyſmus præcedente fortior excitaretur, qui vero in hiſce febribus certum periculum induceret, ægrumque necaret, qui veroſimiliter majoribus doſibus ſervari potuiſſet; uti fere contigit in Principe illo, febre intermittente ſoporoſa correpto, verſus

 quam

quam recte quidem corticis peruviani uſum ſuaſerat Archiater, cl. SCHOENMEZLER; at reclamantibus reliquis, remedium in ſubſtantia datum nocivum nervisque inimicum declarantibus, extractum tantum & refracta quidem doſi, & cum amaricantibus mixtum concedebatur, eo vero cum ſucceſſu, ut quartus paroxyſmus multo majori cum ferocia invaderet ſoporemque induceret, ex quo vix adhuc veſicatoriis aliisque excitantibus expergeſieri Sereniſſimus poterat, his non obſtantibus priori methodo inſiſtendum eſſe, majora vota concludebant, ſed moræ periculum ratus cl. vir, impetuoſius certiorem methodum urgens, finita nunc acceſſione omni trihorio drachmam pulveris corticis unam propinabat, & ita efficiebat, ut febris non amplius rediret, & valetudo melior quotidie ſequeretur. (*Commerc. Nor. A.* 1740. *p.* 98.) Neque eandem ob rationem TALBORII (*Sched. Rom.*) aliorumque methodum ſequemur, qui unico majore corticis præbio ſequentem paroxyſmum jugulare conantur; ſed potius, ubi haud ſatis mature ante acceſſionem vocaremur, quin dimidiæ minimum unciæ pondus ſenſim miniſtrare poſſemus, ejus uſu abſtinemus. Redeunte vero paroxyſmo leviore, iterum nonniſi quæ temperant, derivant, excitant innocue & reficiunt, ægro propinabimus, excretiones per ſudores, alvum, urinam, ceterasque vias, quæ naturæ inſtauratæ viribus expeditius a

cor-

cortice ſuccedere ſolent, juſto in moderamine ſervabimus; declinante acceſſione, vel ſi nulla redierit, ſtatim uſum corticis continuabimus, nullo alio interpoſito remedio: & in notabilium paroxyſmorum intervallis tertia vel quarta quavis hora doſin repetemus, neque prius deſiſtemus, quam paroxyſmi fugati ſint penitus, atque æger adjuvante optima diæta, moderato corporis in aere libero motu, appetitum, vires, & functiones omnes recuperaverit, quæ ut plurimum intra unius, ſaltem alterius, hebdomadis decurſum evenient. Imminui doſis periculo ſuperato poteſt, non facile tamen infra ſcrupulum unum vel drachmam dimidiam, vel quantum fere æquipollet decocti aut infuſi, ter, quater, quinquies, & ultra ſi fieri poteſt, quotidie aſſumendum eſt. Pauciora enim vel minora præbia haud certum ſpondent ſucceſſum, ſed repullanti febris violentioris repreſſæ pabulo tempus fortaſſe largientur, dum ex adverſo amplior paullo doſis nihil omnino metuendum relinquit. (*Confer. præſertim* WERLHOF *l. c. T. I. Sect. 3.* MORTON *l. c.* TORTI *l. c.* LAUTTER *l. c.* CLEGHORN *l. c.* MEDICUS *l. c. Abhandl. d. Naturforſch. Geſellſch. in Zürich. I. B. p.* 189. *it.* TRILLER, KLAERICH, MOERICKE, AURIVILLIUS, *in Diſſert. de febr. interm. malignis habitis.*)

Ubi vero poſt prioris ad quam vocamur acceſſionis finem intervallum nimis breve, vel inſtans

ſtans periculum nimis urgens videretur, ad præmittendam qualemcunque evacuationem, neque etiam veræ indicationes eam expoſcant, tunc ſecurius eam prorſus omittimus, & finito paroxyſmo, vel manifeſta apparente remiſſione ſtatim corticem exhibemus. quod tuto fieri poſſe obſervationes cl. GESSNERI (*N. A. N C. Vol. II. obſerv.* 92.) confirmant, qui in febre intermittente ſoporoſa ſine ulla corporis præparatione poſt primum ſtatim intervallum, quo de natura morbi conſtabat, corticem partitis vicibus ad unciam integram eo cum effectu adminiſtravit, ut paroxyſmus ſequens ſemper minueretur, tertius emaneret. Si vero manifeſta ſordium ſigna evacuationem alvinam omnino neceſſariam indicare viderentur, & ob ipſam perpetuam nauſeam, vomituritiones, cortex vix retineatur, ſed continue vomitu rejiciatur, tempus tamen interponendo purganti denegetur; optime ex GEOFFROY (*l. c. p.* 188.) BIANCHI (*H. ſt. hep. P. III. p.* 287.) LANCISII (*S. II. Epid. IV. C.* 6. 8.) aliorumque conſilio corticem cum purgantibus miſcemus; ita ut e. gr. unciam ſalis cujusdam cathartici & unciam dimidiam corticis in quatuor partes æquales dividamus, & omni bihorio talem doſin exhibeamus, quibus plerumque proximus paroxyſmus mitigatur, ſaltem perfectior intermiſſio inducitur, nauſea & vomitus ſedantur, ita ut in hoc demum intervallo cortex purus

rus ad perfectam curationem usque ingeri poſſit. (CLEGHORN *l. c. p.* 211.) Si vero adhuc impuritatum ſigna adeſſent, ſecure ſublata nunc febre, cortici purgans quoddam indicatum interponi poteſt, neque ulla exinde noxa pertimeſcenda, cum potius, obſervatis modo ſupra traditis regulis, per poſtpoſita evacuantia his in caſibus ubi magna bilioſorum humorum copia in primis viis ſtagnat, recidivæ optime præcaveantur; ſtatim vero poſt purgantis abſolutam operationem corticem repetere neceſſe eſt. (BIANCHI *l. c.* BERGER *Cort. vindic.* §. 8. WERLHOF *l. c. p.* 130. CLEGHORN *l. c. p.* 213.)

Si vero cortex ob ægri nauſeam, deglutionis vim ſublatam, vomitus pertinaciter perdurantes, ſufficiente quantitate ingeri non poſſit, maximo cum ſucceſſu clysmata chinata per juſta intervalla repetita ſubſtituuntur. His enim virum ſexagenario majorem febre apoplectica larvata correptum, omnia interna remedia reſpuentem, integræ ſanitati reſtituit QUARIN (*l. c. p.* 137.) Ubi autem clyſmata non ſufficerent febri ſuffocandæ, & qualescunque corticis præparationes, mixtiones, correctiones, eodem quo pulvis modo vomitu iterum rejicerentur, ex cl. HOFFMANNI, LINDII conſilio opii vires tentari poterunt; cum enim prior ægro ſoporoſa febre laboranti corticem continuo revomenti, clysmatibus chinatis

natis ſine effectu adhibitis, una ante novam acceſſionem hora laudani opiati portionem porrexiſſet, rediit quidem febris, ſed ſine ſopore, poſt hunc vero paroxyſmum cortex retinebatur, ita ut febris non amplius rediret, (WIRTENSOHN *Diſſ. Opium vires cordis debilitare &c. Hardervv.* 1775.)

Quod ſi autem ſolutio prioris paroxyſmi adeo fuit imperfecta, ut vix aliqua notabilis acceſſiones intercederet remiſſio, ita ut ægri comate ſomnolento, vel vigili, deliriis obruti, attoniti, hemiplectici jaceant, nihil utilitatis a febrifugi remedii uſu exſpectari poterit; ſed æger quaſi ex aliis cauſſis ejusmodi ſymptomate afflictus eſſet, cujus certa antidotus non datur, notis artis auxiliis tractandus, ut forſan eorum ope poſt unius alteriusve paroxyſmi tempus remiſſio magis manifeſta apparens antifebrili remedio locum faciat. Reſpiciendum itaque potiſſimum, an ſanguineæ inflammatoriæ, an potiusślioſæ, an demum nervoſæ magis indolis affectio ſit; & in priori caſu morbus venæſectionibus etiam repetitis, attenuantibus, antiphlogiſticis; in altero, bilioſam putridam colluviem corrigentibus, evacuantibus; in poſteriori antiſpaſmodicis nobilioribus, morbus ad manifeſtiorem remiſſionem usque palliandus erit. In poſtremo hoc caſu, in hyſtericis potiſſimum occurrente, locus præſertim

erit,

erit remedio illi, a cl. HOFFMANNO (*Wirtenſohn Diſſ. cit.*) laudano nimirum opiato, quod ad quadraginta & ultra usque guttas exhibitum aliquoties in ægris febre ſoporoſa detentis, qui neque venæſectionibus, neque vomitoriis, clysmatibus acrioribus, neque veſicatoriis, neque aliis internis externisve ſtimulantibus, excitari poterant, adeo felicis efficaciæ invenit, ut pulſus debilis antea nunc fortior, reſpiratio liberior evaſerit, ſpaſtica partium ſtrictura relaxata, ſoporque intra horæ ſpatium diſſipatus fuerit, quod remedium jam RIVERIUS in febre tertiana duplici ſoporoſa mulieris hyſtericæ feliciter auſus eſt; (*Obſ.* 26. *Cent. II.*) & ex quo ne minima noxa pertimeſcenda, modo æſtus ille & ſanguinis orgaſmus, deliria, ſopores, non materialem, ſed in ſola nervorum perturbatione poſitam cauſam habeant. (LIND *l. c. p.* 294.) Sæpe vero ſopores aliquid convulſivi habere, HIPPOCRATES jam notaverat. (*Coac.* 186. conf. *Diſſ. mea de miro inter caput & viſcera abdom. commercio. Gœttingæ,* 1771. *p.* 87.)

Integre reſtituto ægro, nondum tamen fidendum penitus eſt induciis, cum ad reverſionem adeo pronæ ſint iſtæ febres, ſed per hebdomadas paroxyſticas modo ſupra tradito corticis uſus denuo continuandus eſt, ita ut quotidie per totam hebdomadam quinquies aut ſexies ſcrupulum

pulum unum aut drachmam dimidiam æger aſſumat, rationem ſemper ducendo tum facilitatis vel difficultatis, qua febris prægreſſa fugari potuit, tum ſtatus epidemici; & hæc prophylactica cura altera immo tertia vice repetenda, donec nullus motus morboſus ſupereſſe amplius obſervetur, & medicamentum de diſpoſitione febrili plenam victoriam reportaverit. (WERLHOF *l. c. S. IV.* Quæ vero ſymptomata a curata febre reſtant, ea pro cauſarum diverſitate tractanda ſunt; modo enim ſordium ventralium a febre relictarum, vel viſcerum obſtructorum, vel peculiaris humorum cacochymiæ progenies ſunt, & aperientibus, ſolventibus, evacuantibus, alterantibus, optime cedunt; modo febrilis caracteris nondum penitus deleti, vel debilitatis ſolidorum per morbi prægreſſi vim & diuturnitatem inductæ effectus ſunt, & continuato corticis uſu indies minuuntur, & tandem evaneſcunt.

In febribus pernicioſis convulſivis, epilepticis, tetanicis, quæ fere ſic aggrediuntur, ut prægreſſo horrore vehementiore vel leviore ſequatur æſtus ardens cum dolore graviſſimo capitis, lumborum, artuum, ſiti immani, nauſea, vomitu, inquietudine ſumma, deliriis, ſubſultubus tendinum, floccorum lectione, quæ tandem copioſo ſudore, feliciter finiuntur, inſequente remiſſione longiore vel breviore; quam vero poſt certum

certum intervallum novus isque gravior paroxyſmus excipit, in quo non ſolum priora ſymptomata inſigniter augentur, ſed ſimul diriſſimis vel particularibus vel univerſalibus convulſionibus & ſpaſmis ægri miſerrime excruciantur, donec vel in ipſa hac, vel in una ſequentium acceſſionum mors tragœdiam finiat. In hisce febribus eadem propemodum curationis methodus adhibenda, quæ in præcedentibus. In paroxyſmis itaque venæſectionibus, clyſmatibus, inunctionibus emollientibus, internis ſi applicari poſſint temperantibus, anodynis, antiſpasmodicis nobilioribus, humorum orgaſmus & ad caput raptus minuatur, ſpaſmorum vehementia ſopiatur, paroxyſmi remiſſio, quantum fieri poteſt, acceleretur; deinde præmiſſis, quantum per intervalli brevitatem licet, præmittendis, cortex majoribus & repetitis doſibus, ſufficiente nimirum ad ſequentem paroxyſmum ſuffocandum quantitate exhibeatur. Sic cl. LAUTTER (*l. c. p.* 54) in filia ſexenni horripilatione, dein frigore haud diu durante, brevi poſt calore valido, & diris toto fere corpore convulſionibus per horas aliquot vexato, dum in cauſam morbi inquireret, veram epilepſiam ex lactis coloſtro forſan oriundam ſuſpicatus, lene emeticum, dein remedia nervina & roborantia præſcripſit, die etiam ſequenti bene ægram ſeſe habere obſervavit, tertia vero morbus eadem cum ferocia, eadem ratione, eodem tempore re-

dibat & recedebat; mutavit igitur diagnoſin, ſuſpicatus illico febrim hic latere de intermittentium familia remittentem, epilepticas convulſiones indutam, & a media corticis uncia, remiſſionis inſecutæ intervallo exhibita, febrim cum aſcititia ſua epilepſia illico ſanatam obſervavit. Similem febrim obſervavit cl. BRÜNING, qua per paroxyſmos ſpaſtice & in ligneam duritiem contrahebantur muſculi colli, cum ſuffocationis, apoplexiæ, præſentiſſimoque mortis periculo, quæ omnium, quotquot adhibita fuerant, remediorum internorum atque externorum vim eluſerat; cum vero de latente febre intermittente cogitaretur, & cortex larga manu propinaretur, decem quidem ejus drachmæ non ſufficiebant ad prævertendum proximum paroxyſmum, qui poſtridie eadem hora multo quidem levior redibat; continuatus vero remedii uſus omnem morbi violentiam figit, ægrumque intra breve tempus integerrimæ ſanitati reſtituit. (*Conſtit. epidem. Eſſend. p.* 117.) Sic idem quoque in virgine nobili tenera febrim tertia quaque die recurrentem, cui vero loco horroris & frigoris epilepſia acceſſerat, æſtu vere febrili ſudoribusque effuſis terminatam, corticis uſu intra breve tempus profligavit. (*ibid.*) Cum interim convulſivi motus toties ex abdomine originem trahant, etiam in hisce febribus ſemper probe attendendum eſt, numne forſan ex hoc bilioſorum acrium putridorum

rum humorum in primis viis fomite graviora iſta ſymptomata producantur, quorum evacuatio præcipue indicetur, non neglecto interim maturo corticis uſu; qualem epidemiamellioſam febris pernicioſæ convulſivæ obſervavit cl. MEDICUS (*Samlung v. Beobacht. T. I.*) quæ in plerisque nullo prægreſſo horrore cum ardente æſtu incipiebat, doloribus graviſſimis dorſi, lumborum, extremitatum, nauſea, vomitu, putrido oris ſapore, præcordiorum oppreſſione, ægros vexabat, poſt plures tandem horas ſudore copioſo effuſo remittebat, ſed poſt paucas iterum horas denuo cum aucta omnium ſymptomatum ferocia redibat, iterumque remittebat, donec ſequente exacerbatione ſenſuum omnium abolitio, maxillæ inferioris ſpaſmus, faucium conſtrictio, aſthma convulſivum, abdominis introtractio, veſicæ & ani ſphincterum ſtrictura, in quibusdam univerſalis tetanus accedebant, quæ ita per totam diem noctemque & ultra diriſſime ægrum torquebant, usque dum frigidus erumpens ſudor vires penitus exſolvebat, ægrosque morti tradebat. Unicum in hac febre præſidium erat, primis mitioribus paroxyſmis, antequam dirus ille & plerisque lethalis tetanus accedebat, emeticis, digeſtivis, purgantibus, clysmatibus, putridam colluviem inteſtinalem diluere, corrigere, evacuare; (his enim ſolis interdum convulſivi paroxyſmi prævertebantur, ſaltem remiſſiones manifeſtiores red-

 deban-

debantur,) poſtea vero largis doſibus corticem adminiſtrare; ubi enim convulſivus iſte paroxyſmus jam acceſſerat, nullum plerumque etiam efficaciſſimis remediis præſtari auxilium potuerat.

Similiter agendum eſt in febribus intermittentibus cum deliriis junctis, reliquis non minus quandoque pernicioſis, quippe in primis interdum paroxyſmis necem adferant. (SENAC *l. c. p.* 96. 97.) In paroxyſmo ergo venæſectionibus, pediluviis, ſinapiſmis, clyſmatibus, temperantibus, antiphlogiſticis, veſicatoriis; aut ſi ſordes bilioſæ turgeant, lenioribus evacuantibus, temperantibus additis, orgaſmus & humorum ad caput congeſtio minuenda; eo vero finito cortex juſta ratione adminiſtrandus, ne febris redeat, & aucto humorum orgaſmo lethalem forſan ſoporem producat. Sic cl. LAUTTER (*l. c. p.* 91.) in viro quodam febre bilioſa tertiana duplicata, uti videbatur benigna correpto, cum adhibitis emeticis, purgantibus, ſale ammoniaco, mitiores indies paroxyſmi reddi videbantur, ſubito vero alterius tertianæ paroxyſmus gravis admodum & periculoſus rediret, calore nimirum mordace, & feroce delirio ſtipatus, pernicioſam febrim delphico ſuo gladio illico confodiendam eſſe concluſit, quod etiam optime ſucceſſit; ſex enim corticis drachmæ, remiſſionis tempore ingeſtæ, tertianæ unius paroxyſmum, licet de ſe etiam paulo leviorem,

magis

magis adhuc compeſcuerunt; media uncia inſuper aſſumta, ſæviorem quoque tertianam mitigavit, repetito dein corticis uſu febris omnino diſparuit; illis quidem horis, quibus hæc antea exacerbari ſolebat, pulſu minime febrili, cephalalgia acceſſit immanis, octo circiter horis durans, penitus tandem continuato corticis uſu fugata. Quodſi vero maxima ex parte bilioſæ ventriculi ſordes deliria iſta fovere viderentur, neque præmittendis cortici evacuantibus tempus ſufficeret, optime iſta cum cortice combinari poſſunt; uti fecit QUARIN (*l. c p.* 34) in epidemia iſta febris tertianæ, cum oris amaritie, calore intenſo, levibusque in paroxyſmis deliriis ſtipatæ, quæ etſi purgatis antea primis viis corticem dein ſolum in ſubſtantia adhibitum minime ferebat, ſed oppreſſiones præcordiorum, anxietates, languores accerſebat, neglecto cortice in continuas peſſimas tranſibat, mixto vero ejus extracto cum ſalibus mediis laxantibus & antiphlogiſticis, frequentibus inde alvi fœtidis dejectionibus excitatis, ſtatim ita moderabatur, ut nunc facilius corticem ſolum ferret, eodem tandem integre fugata.

In febribus tuſſi vel aſthmate convulſivo ſtipatis, in acceſſionibus quidem, ſanguinis miſſione, expectorantibus cum antiſpasmodicis junctis, veſicatoriis, aſthma lenire & lethalem ſuffocatio-

 nem

nem prævenire; paroxyſmo vero finito, evacuat antea, ſi per temporis brevitatem licet, irritant quæ vel in pectore vel in ventriculo hæret materia, cortice ſequentem paroxyſmum prævertere oportet. Sic cl. MEDICUS (*l. c. Th. II. p.* 385) quotidianam febrim deſcribit, cujus paroxyſmo adeo violenta & convulſiva tuſſis comitabatur, ut omni momento ægrum ſuffocandum crederent, inſequente ſumma debilitate; dato poſt finitum paroxyſmum emetico, quod multum bilis & pituitæ evacuabat, & ſubjuncto corticis uſu, mox tuſſis minuebatur, & repetito utroque medicamento una cum febre tollebatur. Neque timendum eſt, ne cortex adſtrictoria vi ſputa levantia forſan ſupprimat, eoque majorem pectoris oppreſſionem producat; dum enim antifebrili ſua vi periodicum ſpaſmum prævertit, ſimul etiam humorum pituitoſorum in pectore accumulationem præcavet & ſputorum libertatem promovet potius, quam cohibet; uti in duobus ægris febribus aſthmaticis vexatis obſervavit GALEATIUS (*Comment. Bonon. T. II. P.* 2. *p.* 217), nil enim proficiebant neque venæſectiones, neque emollientia, edulcorantia, expectorantia nobiliſſima; cum vero evidentius apparente morbi genio, cortex in febris remiſſione propinabatur, poſtquam vix ſecundam chinchinæ portionem aſſumſiſſent ægri, non ſolum febris & aſthmatica affectio remittere ceperunt, verum etiam copioſa mucoſa

&

& ſanguinea materia, efficaciſſimis ſolventibus antea adhibitis non ſolvenda, large rejiciebatur.

In febribus ſyncopalibus ægri, nullo licet dolore perculſi, absque alia manifeſta cauſa, languent, & frequenter, modo de latere in latus ſe velint convertere, aut manum de loco tentent movere, animo deficiunt, cum pulſu parvo, vix ſenſili, ſudoribus frigidis, facie hippocratica, univerſali virium proſtratione, ſequente tandem ſyncope lethali. In his itaque continuo excitantium analepticorum internorum & externorum uſu ægros in ipſo paroxyſmo ad ſe revocare, atque vires ad ſuſtinendam acceſſionis vim ſuſtentare, dein vero corticis uſu febris reditum præſcindere oportet. Sic LAUTTER ægram hyſtericam epidemica remittente febre correptam vidit, quæ levioribus aliquot paroxyſmis prægreſſis, in duplicatam tertianam abiit, cujus prior paroxyſmus oſcitationibus atque pandiculationibus incipiebat, ſequente ſubitanea & omnimoda virium dejectione, animi dejectione veram in ſyncopem cum frigido in facie ſudore, pulſus aſphyxia, deſinentes, quæ poſt multas refocillationes, per cardiaca, antihyſterica, extus intusque adminiſtrata, dein in calorem vehementem cum delirio fere continuo tranſibant, & tandem ſudore immoderato & per horas protracto finiebantur, ex quo vix vires refici poterant, cum alterius ter-

tianæ paroxyſmus ingrueret, ſub quo eas in anguſtias conjecta fuit, ut quovis momento exſpiraturam ægram crederent; iterum tamen ſuperata acceſſione, & detecta morbi latentis indole, corticis uncia cum remediis cardiacis & nervinis exiguo remiſſionis intervallo ingerebatur, eo cum eventu, ut redierit quidem ſequens acceſſus, àt ſine animi deliquio, & mitiſſimo cum calore moderato calore finito; corticis dein uſui diligenter inſiſtens ægra libera penitus ab omni febre ac ægritudine evaſit. (*l. c. p.* 87.) conf. TORTI *l. c. p.* 129. 192. TRILLER *Diſſ. cit. hiſt.* 3.)

In febribus algidis, quarum nimirum paroxyſmi frigore incipiunt extraordinario, quod ita increſcit, ut totum corpus, licet ſtragulis & linteaminibus calidis aſſidue & optime tegatur, trunci inſtar immobilis per plures horas vehementer algeat & rigeat, una cum præcordiorum oppreſſione, & ardentiſſimi circa viſcera interna æſtus ſenſu, quæ tamdiu durant, usque dum largus ſudor erumpat, atque relicta ſumma corporis debilitate acceſſionem ſolvat, quæ tamen ſtatis periodis redit, tandemque ex virium inanitione ægrum necat; perpetuis igitur refocillationibus, frictionibus, veſicatoriis, potu calido, medicamentis analepticis, antiſpasmodicis, excitantibus, ſpaſmus ille cutaneus laxandus, cordis & vaſorum vires excitandæ, ſanguinis & caloris per externas

ternas corporis partes diſtributio promovenda; finito vero paroxyſmo ad corticis uſum progrediendum ſtatim eſt, ut perniciosſum iſtud ſymptoma præſentaneam circulationis ſuffocationem minans mature tollatur; quales felices curationes deſcripſerunt MORTON (*l. c.*) TORTI (*l. c. p.* 272.) VALISNERIUS (*A. N. C. Cent. III. IV. obſ.* 29.) LAUTTER (*l. c. p.* 90.)

Ab his non multum curatione differunt febres diaphoreticæ, quæ ægrum more ſolito frigore & horrore invadunt, quibus ſuccedit calor, at cum hoc profuſus ex omnibus cutis poris guttatim emanans ſudor frigidus, quo æger undequaque perfunditur, & brevi temporis ſpatio manifeſto ſicut cera liquatur, cum pulſu celeri, parvo, debili, reſpiratione anheloſa, facie hippocratica, ſumma virium dejectione, ceteriſque mortis inſtantis ſignis, quæ niſi in illa ipſa acceſſione ſuccedat, in proximam tantum protrahitur; optimis igitur analepticis roborantibus vires ſuſtentandæ, & ſudoris per paralytice quaſi reſoluta cutis ſpiracula profluvium quantum fieri poteſt cohibendum; ſuperato vero periculo cortex larga manu exhibendus, quo ſe ipſum & duos alios tali febre laborantes e mortis faucibus eripuit TORTI (*l. c. p.* 268.)

In febribus cardiacis & colicis, moleſtiſſimæ cum paroxyſmis introcedunt præcordiorum op-

preſſiones, anxietates intolerabiles, cardialgiæ vel colici dolores primo leviores, ſenſim vero in tantam ſaevitiem aucti, ut nonniſi aſſiduo gemitu & ejulatu, doloris & oppreſſionis acerbitate vocem fere penitus cohibente, doloris ſedem manifeſtare poſſint ægri, accedentibus vomitibus dolorem continuo augentibus, pulſu debili inæquali, reſpiratione parva luctuoſa, facie cadaveroſa, algore extremorum, ſudoribus profuſis, frigidis, & tandem in ipſo hoc vel ſequentium aliquo paroxyſmo morte. In paroxyſmo itaque unguenta, linimenta, fotus emollientiſſimi anodyni, epigaſtrio & abdomini applicanda; elysmatibus ſimilibus, veſicatoriis, remediis internis cardiacis, nervinis, paregoricis, veluti tinctura rhabarbari cum liquore anodyno Hoffmanni, laudano liquido Sydenhami mixta, infuſo florum chamomillæ, millefolii & ſimilibus, ſpaſmi internorum viſcerum relaxandi, doloris acerbitas ſopienda, ſtagnans forſan intus acris materia diluenda, mitiganda; finita vero acceſſione cortex ea ratione adminiſtrandus eſt, qua ſequens paroxyſmus aut præverti, aut ſociis hiſce ſymptomatibus perniciosis privari ſaltem poſſit. Sic TORTI (*l. c. p.* 258.) mulierem juvenculam duplici tertiana cum aſſiduis in paroxyſmis ex ſæviſſima cardialgia animi deliquiis, asphyxia, facie hippocratica, ſudoribus frigidis mulctatam, morituræ ſimillimam, remittente paroxyſmo cortice peruviano integræ

ſani-

ſanitati reſtituit. Neque eſt quod metuas, ne largiſſimæ corticis doſes ventriculo moleſtæ dolorem forſan reſuſcitent, & augeant, dum enim larvatam febrim diſpellunt, ſimul & dolori optime medentur. Sic in ægro qui primo febris intermittentis paroxyſmo ſæviſſima cardialgia corripiebatur, cum quovis febris paroxyſmo inſigniter aucta, ita ut tandem deliria furioſa, ſingultus, facies cadaveroſa mortem minarentur, nil juvantibus externo tincturæ thebaicæ & veſicatorii uſu, apyrexiæ tempore duas corticis uncias ſine ulla inde orta ventriculi moleſtia certiſſimo cum eventu exhibuit cl. LIND. (*l. c. p.* 275.) Similiter ægros atrociſſima colica ſpasmodica febrium paroxyſmis juncta ad deſperationem usque tortos, cum venæſectiones, clyſmata, fomenta, reliqua interne applicata, doloris & febris reditui præſcindendo impares erant, corticis uſu brevi curaverunt KOEHLER (*Commerc. Nor. A.* 1741. *p.* 60. 152.) GESSNER (*N. A. N. C. Vol. II. obſ.* 361.)

Febrium cholericarum & dyſentericarum paroxyſmi, nauſea, anxietatibus, ventriculi pondere, invadunt, quæ dein excipiunt vomitus continui, una cum dejectionibus alvinis validis copioſis, ſubflavis, glutinoſis, ſanguinolentis, aut illis ſimilibus, quæ in hepatico & lienterico fluxu excernuntur, torminibus & teneſmo ſtipatis, adeo

vero

vero enormibus, ut intra paucas horas vires penitus exhauriantur, tempora collapſa, lurida facies, vultus moeſtus, ſudor profuſus fere aſſiduus, appareant, atque æger mortuo ſimilis reddatur. Ad hæc atrocia ſymptomata cohibenda, in paroxyſmis potu mucilaginoſo, acidulo, medicamentis paregoricis, analepticis, emollientibus anodynis externe adminiſtratis, morbi vis minuenda, dejectiones retardandæ, cohibendæ, dolorum & ſpasmorum acerbitas lenienda, vires refocillandæ Finito vero paroxyſmo proxime inquirendum eſt, num forſan bilioſorum putridorum humorum copia adhuc adſit, quæ niſi antea evacuaretur, corticis virtuti reſiſteret. Apparentibus itaque ſordium inteſtinalium ſignis, illisque turgentibus, neque viribus nimium conſumtis, impuritates, quaverſum exitum moliuntur, ſive per lene emeticum, ſive per lene purgans evacuentur, quorum poſt finitam operationem cortex laudata methodo adhibeatur. Quodſi ex ſolius corticis uſu, nauſeam, inflationes & anxietates, potius augeri ægri conquerantur, optime cum rheo jungitur. (LAUTTER *l. c. p.* 125.) Si vero ex corticis vel ſolius vel cum leni purgante mixti uſu diarrhæa inde vehementior rurſus evaderet, ipſum vel ſolum iterum, vel cum opio, vel cum mitiore quodam adſtringente combinatum præſcribere oportet; in pluribus enim obſervavit GALEATIUS (*Comment. Bonon. T. V. P. 2. p.* 421.)

cor-

corticem ſolum neque febrim tuliſſe, neque fluxum cohibuiſſe, niſi cum caſcarillæ cortice combinaretur, addito enim cuivis corticis chinæ doſi ſcrupulo uno caſcarillæ, fluxus citius ſiſtebatur, eoque longius temporis ſpatium cortici concedebatur, in corpore morandi, & diſpoſitionem febrilem perfecte tollendi; ſic quoque cl. MEDICUS (*l. c. T. I. p.* 217.) licet corticem ad educendas bilioſas putridas ſordes cum tinctura rhabarbari & acidis vegetabilibus combinaverit, in multis tamen breve poſt tempus recidivæ contingebant, niſi cum adſtringentibus, terra catechu, alumine & ſimilibus junctus fuerit. Si vero exinde obſtructa alvo inflationes & oppreſſiones præcordiorum evenirent, purgantibus autem admixtis alvum ſolvere modo dictæ rationes vetarent, nil aliud ſupererit, niſi corticem ſolum propinare. & alvum cohibitam enematibus reſerare. (LAUTTER *l. c. p.* 125.)

Interim etiam hoc monendum eſt, quod ſupra jam tetigimus, ſicuti febres intermittentes ſub acutorum morborum ſpecie frequenter imponant, ita & febres vere continuas & acutas, more intermittentium vel remittentium periodice in principio exacerbatas, medicum interdum decipere poſſe, præſertim ſi febres vere remittentes tunc temporis ſint epidemicæ. Qualem epidemiam obſervavit cl. LAUTTER, (*l. c. p.* 46.) in qua

qua ægri primo febricitabant cum tuſſi, aut diarrhæa, aut vomitu, aut doloribus rheumaticis, febricula hac vires valde dejiciente, ſtatis diebus & horis varie exacerbata, remittente dein; urina finito paroxyſmo miſſa ſedimentum ponente lateritium; poſt aliquot vero dies ſupervenientibus, delirio feroce, loquelæ difficultate, animi deliquio; morbum in claſſem febrium remittentium pernicioſarum tunc popularium reponere non dubitavit cl. Vir; cortice autem exhibito, periodica ceſſavit quidem exacerbatio, at febris vere continua, acuta, ſub paroxyſmorum acceſſibus delitescens antea, & minus ideo diſtinguenda, jam manifeſto ſe in conſpectum dedit, iisdem plerumque, quæ exacerbationis tempore prius adfuerant, ſymptomatibus ſtipata, gravis admodum & periculoſa; miliaribus interdum tam albis, quam rubris, immo & petechiis ſimul apperentibus; urina prærubra nunc & tenui, aut aquoſa, aut turbida ſine ullo ſedimento reddita; cortex quidem adhibitus noxam nullam attulit, neque tamen juvamen notabile; ſed prout indicatio juſſit, nunc venæſectiones, diluentia, nitroſa, antiphlogiſtica, nunc ſtimulantia, cardiaca, veſicantia, adplicanda erant, quæ tarde quidem & criſi imperfecta ægrum tandem reſtituerunt. (*Conf. ibid.* 136. & 139.)

CAPUT

Caput IV.

Uſus Corticis Peruviani in affectubus periodicis non febrilibus.

Cum hactenus corticis uſum ad febres intermittentes tum ſimplices, tum complicatas, benignas atque pernicioſas, applicaverimus, ſequitur ut ejus recte adhibendi rationem etiam in iſtis affectionibus oſtendamus, quæ, licet nullis in toto corpore febris ſignis deprehenſis, tamen more febrium intermittentium ſtatis horis accedunt, & certis interpoſitis intervallis periodice recurrunt; varia quidem ſub forma, ſive certæ cujusdam corporis partis doloris, ſpaſmi, convulſionis, paralyſeos, ſive topici cujusdam tumoris, inflammationis, effloreſcentiæ; ſive præternaturalis cujusdam profluvii ſanguinei, ſeroſi, & ſic porro, quorum innumeroſorum fere morborum periodicorum ſpecierum completiſſimam collationem ſummo cum ſtudio ex optimorum obſervatorum ſcriptis concinnavit cl. MEDICUS, (*Geſchichte period. Krankh. Carlsruhe.* 1764.)

Similem vero originem iſtas affectiones cum ipſis febribus intermittentibus habere, tum decurſus typici, ſymptomatum, cauſarum, ſimilitudo ſatis aperte docent; eodem enim modo uti illæ homines paulo ante ſaniſſimos ſubito invadnnt,

dunt, & per determinatas horas ſive horæ partes, decurſum ſuum, incrementi, vigoris, decrementi, abſolvunt, & ita intermittunt, ut nullum præſentiæ ſuæ ſignum relinquant, elapſo autem certo intervallo, vel eadem hora, vel æquabiliter anteponendo vel poſtponendo. quotidianis, tertianis, quartanis, iisque vel ſimplicibus vel multiplicatis, paroxyſmis redeunt, ita ut nullum pathognomonicorum febris periodicæ ſignorum deſit, excepta febre, cujus, ſi aliquantam pulſus celeritatem, fugitivam quandam perfricationem, auctum aliquantulum calorem, & perſpirationem præſertim in parte externa affecta, ſedimentum urinæ lateritium, (quæ tamen & eadem frequenter omnino abſunt,) ne minimum indicium obſervatur. Sic etiam reſpectu cauſarum excitantium easdem plane agnoſcunt. Eodem enim non raro tempore, quo febres intermittentes epidemicæ graſſantur, etiam typicæ iſtæ affectiones frequenter occurrunt, vel in veras intermittentes tranſeunt, vel easdem male aut imperfecte curatas excipiunt. Et uti febris inrermittens ſæpiſſime fomitem ſuum in primis viis habere ſupra demonſtratum fuit, ſic & ceteras typicas affectiones ſæpiſſime ex cacochylia ventrali originem ducere, tum ſymptomata, tum ipſa medendi methodus aperte docent. (MEDICUS *l. c. §.* 69-99.) Sæpe enim aut vomitu aut diarhæa ſive ſpontanea ſive artefacta feliciter tolluntur, uti in cephalal-

phalalgiis periodicis obſervarunt, A MURALTO, (*E. N. C. D. II. A. VIII. obſ.* 12.) LANZONUS; (*ibid. Dec. III. A. I. obſ.* 32.) in ophtalmiis typicis HOFFMANNUS, (*Op. T. II. p.* 168.) SLOANE, (*A. N. C. Vol. X. App. p.* 290.) in amauroſi, nyctalopia, hemeralopia periodica, FOURNIER (*Recueil period. T. V. p.* 102. 426.) MEDICUS (*Samml. v. Beob.* 2. *Th. p.* 364.) in viſus & auditus debilitate aſcaridibus producta, (V. PHELSUM (*Hiſt. Aſcarid. patholog. p.* 194.) in aliis periodicis morbis alii. (*Conf.* MEDICUS *v. period. Krankh. p.* 314.) Sicuti vero febres intermittentes ſæpe ſine ulla manifeſta materiali cauſa contingunt, & modo diſponens illa cauſa, morboſa nimirum iſta ſyſtematis nervoſi ſenſibilitas adſit, a leviſſimis cauſis excitantur; neque ulli remedio cedunt, niſi quod caracterem iſtum febrilem nervis impreſſum radicitus tollit, cortici peruviano; ſic etiam iſtæ absque materiali cauſa ex partiali quadam, uti videtur, nervorum hujus vel illius partis morboſa ſenſibilitate, & caractere febrili ſingularis cujusdam partis nervis impreſſo, ex leviſſimis quæ iſtum excitant cauſis ſæpe producuntur, & eodem ſpecifico remedio vix non ſemper obediunt.

Non aliam itaque opem expoſcunt periodicæ cujuscunque generis affectiones, quam ipſæ febres intermittentes. In acceſſionibus nimirum

ſymptomata illa orgaſtica, ſpaſtica, ſub quorum larva febris latet, temperantibus, antiſpasmodicis, anodynis, derivantibus, lenienda; finito vero paroxyſmo in cauſas materiales inquirendum eſt; num forſan orgaſmus plethoricus temperantia, venæſectiones; colluvies primarum viarum bilioſa, putrida, pituitoſa, verminoſa, digeſtivorum, anthelminticorum, emeticorum, purgantium, applicationem præmittendam expoſcant; num profundiores viſcerum obſtructiones, impeditæ hujus illiusve viſceris ſecretiones, variæque inde natæ humorum cacochymiæ, aperientium, ſolventium, depurantium uſum requirant. Ubi vero hiſce indicatis remediis adhibitis & repetitis affectiones iſtæ ne minimum obediunt, ſed earum paroxyſmi nihilominus pertinaciter recurrunt; tunc ſine mora ad corticis peruviani uſum accedere convenit, isque eadem ratione uti in febribus intermittentibus veris adhibendus eſt. Qui quam certo & conſtanter etiam in periodicis hiſce adfectibus juvare ſoleat, innumeræ fere optimorum Medicorum obſervationes ſatis luculenter demonſtrant, ex quibus allegaſſe ſufficiat exempla, doloris capitis moleſtiſſimi fruſtra venæſectionibus, purgantibus antiphlogiſticis, cucurbitis nuchis applicatis, veſicatoriis attentati, detecta vero periodica morbi natura cortice ſtatim ſublati; (V. SWIETEN *Comment. T. II. p.* 534.) doloris genæ ſiniſtræ periodici, nil juvantibus veſica-

ſicatoriis, ſinapiſmis, ſuffimigiis, purgantibus, corticis drachmis duabus bihorium fere ante paroxyſmi introitum propinatis, & dein repetitis perfecte curati. (TODE *Act. Soc. Hafn. T. I. p.* 284.) Coryzæ quovis mane revertentis, meridie ſequente evaneſcentis cum capitis intumeſcentia junctæ, diaphoreticis fruſtra adhibitis, purgantium & corticis uſu ſanatæ. (*Journal de Medec. Ao.* 1751. *p.* 197.) Ophtalmiæ periodicæ ſumme doloroſæ (TORTI *l. c. p.* 426. BUTTER *on the Kincough. p.* 27.) & oculorum ſine inflammatione doloris quotidie iisdem horis revertentis; (*Journ. de Medecine. T. XIII. p.* 228.) cæcitatis intermittentis; (STOERCK *An. med. I. p.* 76.) ſternutationum immanium per plures hebdomadas per certa intervalla redeuntium; (BERGIUS *Schvved. Abhandl. A.* 1760.) odontalgiarum ſtatis periodis recurrentium, neque ſolitis remediis quin ipſi dentis evulſioni minime cedentium; (TORTI *l. c. p.* 438. CONSBRUCH *N. A. N. C. T. V. p.* 86. RICHTER *Chir. Bibl. I. B. ſ.* 24.) otalgiæ acerbe gravidam quotidie a nona matutina ad tertiam pomeridianam vexantis, (GESSNER *N. A. N. C. Vol. II. p.* 362.) delirii in ægro ludis venereis exhauſto alternis diebus contingentis; (*Journ. de Medec. A.* 1757. *p.* 195.) convulſionum epilepticarum periodicarum, (TODE *Med. Bibl. II. B. I. St. p.* 161.) tetani intermittentis (STOERCK *Ann. med. II. p.*

 166.)

166.) apoplexiarum, (SYDENHAM *Epiſt. reſpons. ad ann.* 1678.) paralyſeos typicæ, (SAUVAGE *Noſolog. method. T. II. p.* 795.) hæmoptyſis periodicæ; (STOERCK *l. c. p.* 165.) hæmorrhagiæ uterinæ quotidie hora ſexta ingruentis; (PICQUE *Journ. de Med. T. XLII. p.* 420.) colicæ, (*ibid.*) icterorum (WERLHOF *T. I. p.* 102) BRUNING *Tractatus de Ictero ſpasmod. inf. p.* 300.) aſthmatis; (NEBEL *A. N. C. Vol. VIII. obſ.* 114.) fluoris albi, (WEIKARD *obſerv. med. p.* 90.) frigoris, horroris, æſtus, ſpecialia ſolum quædam corporis loca invadentium; (HENZE *in Tode Bibl. I. B. 3. St. p.* 182. DE MEZA *Verſuch einer Chirurg. Geſellſchaft in Coppenhagen.*) qui affectus omnes corticis peruviani recto uſu cum cætera nil juvaminis præſtarent brevi curati ſunt.

Cavendum interim, ne quamcunque periodice recurrentem affectionem ad hanc febrium intermittentium larvatarum claſſem referamus. Dantur enim morborum periodicorum regularium ſpecies, quæ corticis ſpecificæ vi minime obediunt; quarum nimirum cauſæ ipſius virtute tolli non poſſunt, quippe natura ſua ab iſta febrium intermittentium valde differunt. Ponas turgorem vaſorum retinæ viſus debilitatem producere, nonne is ad quendam gradum auctus irritationem in ſenſili tunica iſta producens auctam ſimul obſtructorum

ctorum vaſculorum contractionem & per hanc ipſam ſtagnantium humorum diſſipationem producere forſan poterit; qui tamen vaſorum turgor remanente cauſa congeſtionem illam excitante certo intervallo redibit, & iterum eandem ob rationem diſſipabitur; habebis ideam cæcitatis periodicæ corticis viribus minime tollendæ, niſi forſan laxitas vaſorum retinæ turgoris iſtius cauſa eſſet. Sic cl. RICHTER exemplum refert viri cujusdam, ſtrenui potatoris, obeſi, alternis diebus oculorum hebetudine correpti, alternis optime videntis; digeſtiva laxantia leniora per 14 dies uſurpata ne minimum mutarunt morbum, corticis vero uſus adeo morbum auxit, ut nunc quivis paroxyſmus duos per dies duraret, tertius tantum quilibet dies a morbo liber eſſet; adhibita vero nervina calidiora ſoporem apoplecticum fere induxiſſent; aucta nimirum per iſta remedia vaſorum retinæ turgeſcentia. (*Obſerv. Faſcic. II. p.* 71.) Sic poſt graviora capitis vulnera interdum moleſti capitis dolores relinquuntur, per periodos per longum ſæpe tempus redeuntes, corticis virtuti minime obedientes, ſed potius temperantibus, ſolventibus, derivantibus, laxantibus, pediluviis, hirudinibus, ſcarificationibus tollendi, cum nimirum ex relicta ob læſionem prægreſſam humorum in cerebri vaſculis ſtagnatione, indeque ex leviſſimis cauſis oriundo circuli impedimento, originem ducant, cortice, licet periodice re-

currant dolores, non tollenda, niſi forſan atoniam vaſorum, ſtagnationem & congeſtiones iſtas foventem, juvet. Perfecte vero & unice malum tollet cortex, ſi ex ſimili cauſa prægreſſa per graviorem cerebri & nervorum commotionem ſimilis ipſis character imprimitur, qualis affectus vere periodicos producere ſolet. Sic ante aliquot hebdomadas ex alto ceciderat, & graviter pavimento caput illiſerat femina quædam ſexagenaria, indeque magnum circa occiput acceperat vulnus, cranium quidem minime lædens, & a peritiſſimo Chirurgo intra paucos dies labiorum reunione ſanatum; neque quicquam incommodi ægra querebatur, niſi immanem capitis dolorem, hemicraniæ ſimilem, omni mane a decima ad duodecimam usque horam invadentem, ſubito accedentem, ſubito dein ſolutum. Signa læſionis internæ ne minima apparebant, ægraque in dolorum intervallo ſaniſſima erat; hinc ex concuſſione prægreſſa leviorem adhuc humorum in internis capitis vaſculis ſupereſſe credentes, purgantia antiphlogiſtica, pediluvia, adhibuimus, hirudines ad tempora & pone aures repetitis vicibus applicavimus, at ſine ullo effectu, ſtata enim hora dolor redibat; hinc mutationem ſolis in nervis ex fortiore prægreſſa commotione factam eſſe concludebamus, & corticis peruviani uſum ſuaſerimus, cujus decocti uncias octo nyctimeri

ſpatio

ſpatio ægra eo effectu deglutiebat, ut exinde non amplius dolores redierint. Sic etiam morbi periodici, qui ab affectibus per ſe periodicis naſcuntur, v. gr. a menſibus ſuppreſſis, ab hæmorrhoidibus turbatis, remedia iſtis cauſis oppoſita, minime vero, niſi eæ ipſæ ejus uſum indicent, cortice peruviano ſanari poſſunt. Non itaque ſolum ad periodicum morbi decurſum, ſed ad cauſas prægreſſas ſimiles iſtis febrium intermittentium, ad conſtitutionem epidemicam, urinæ ſedimentum lateritium, reliquaque ſimul attendendum eſt.

SECTIO III.

USUS CORTICIS PERUVIANI IN FEBRIBUS CONTINUIS.

Traditis hactenus regulis, quæ circa uſum corticis in febribus intermittentibus obſervandæ ſint, ultra progredimur, ut obſervationes Medicorum, quas exercitatiſſimi viri circa ejusdem applicationem in febribus continuis inſtituerunt, invicem comparemus, atque exinde veras conditiones & juſtam normam eruamus, ſecundum quas ſecura & recta ejus applicatio etiam in hoc febrium genere fieri poſſit.

CAPUT I.

Uſus Corticis in febribus continuis in genere.

Nonaginta fere anni præterlapſi ſunt, ex quo celebris ille RICH. MORTON corticis uſum etiam adverſus febres continuas adductis graviſſimis rationibus commendavit, plurimisque obſervationibus confirmavit. Pro certo enim ipſe habuit, febres, utut ex maſſa humorum conturbata corpus nonnunquam ad illas diſpoſitum fuerit, a primo tamen inſtanti ab ægrotatione ſpirituum nervoſorum formari, qui orgaſmo ſuo

ſuo etiam primos inſultus faciant, quibus tota dein corporis compages illico afficiatur; originem porro morborum febrilium ex heterogeneo quodam, ſenſu vix perceptibili explicat, quod venenata vi præditum flammæ vitali contrarium ſit, & cum quo natura certamen inſtituat, donec venenum vel a ſpiritibus victoriá potitis expellatur, vel a propria antidoto ſubigatur, vel etiam natura ſuperata per vim veneni ſuccumbat; ſpecificis itaque opus eſſe inveniendis, ſive ad ſpirituum in quibusvis febribus efferatos motus compeſcendos, ſive ad venenum iſtud, horum omnium ſymptomatum fontem antidota vi ita ſubigendum, ut febri ſtadia ſua, augmenti, ſtatus, declinationis, percurrenda amplius non eſſent, ſed ſine criſi ſenſibili redire ſanitas poſſet, hujus vero veneni antidotum herculeam eandem eſſe, quam febrium intermittentium, nimirum corticem peruvianum, cujus vis antifebrilis in eo unice conſiſtat, quod virulentiam febrilem ſubigat; intermittentes vero, remittentes, continentes & malignas febres, gradu tantum differre, & a veneno ceterum ejusdem ipſiſſimæ naturæ pendere, utut quoad curationis methodum toto cœlo differant. In febre continente quidem a cortice peruviano nihil opis exſpectandum eſſe, donec ſpiritus antidoti vires regere poſſint; ubi vero ſpeciem remittentis induerit, ejus vires in hac æque certo & cito efficaces ac in intermittente

multo uſu ipſi comprobatas eſſe, licet interdum propter ſymptomata vehementia multa alia ſimul indicentur, quibus prius ſatisfaciendum ſit. (*Oper. T. II. p.* 154. *ſeqq.*) Alii vero non minus periti Medici ſummam in hac corticis contra continuas febres adminiſtratione adhibendam eſſe cautionem, & plerumque non tantum non prodeſſe, ſed plane obeſſe, docuerunt; (SYDENHAM *l. c. p.* 401.) præſertim ubi dolor fixus, continuus, ſenſus ardoris interni, ſpirandi difficultas, alvus obſtipata, abdomen durum, & ſubtumidum, aliaque inflammationis internæ ſigna adſint; (BAGLIV *l. c.* BOERHAAVE *Aphor.* V. SWIETEN *T. II. p.* 767.) dum nimirum febrem in continentem mutet, obſtructiones augeat, inflammationis in ſuppurationem vel gangrænam tranſitum promoveat, criſin perfectam impediat, dum præmature ſublata febre, in corpore remaneat illud, quod per febrem ipſam maturandum & reſolvendum fuiſſet; (WINTRINGHAM *Op. T. II. p.* 251. 316.) concedendum hinc ejus uſum in iis tantum febribus continuis eſſe, quæ ex intermittentibus ortæ fuerint, vel quæ intermittentem junctam habeant, vel continuas tantum ſimulent ex intermittentium genere, vel tandem, quæ notabilibus longiſque remiſſionibus inſtruuntur, cujusmodi generis fuerint febres iſtæ continentes, inflammatoriæ, malignæ, hemitriteæ, peſtilentes, in quibus corticis uſum felicem repererunt APINUS

NUS *Hiſt. febr. epid.* HELVETIUS *Recueil de methodes &c. p.* 30. 145. LANCISIUS *L. II. Epid. I. c. 9. §.* 2. aliique. Quo magis enim febres ad intermittentium naturam accedant, eo facilius cortice curabiles eſſe, quo magis vero accedant ad naturam continuarum, continentium, eo difficilius. (TORTI *l. c. L. V. C. II.* SENAC *l. c. p.* 260.) Felici hinc ſucceſſu adhiberi in ſemitertiana notha, ſive tertiana continua duplici, modo tempus remiſſionum longum ſatis ſit, neque inflammatio, nec abſceſſus, vel alia mala morbi alieni ſymptomata juncta ſint, qualia enim ſi adeſſent, melius omnino ab hoc remedio abſtinendum, & tanquam febri acutæ & continenti medendum eſſe, donec forſan declinationis tempore naturam morbi ex intermittentium genere eſſe conſtet, & ſine formidine cura febrifuga inſtitui poſſit. (WERLHOF, *T. I. p.* 104.) Sic enim e. g. in pertinace febre quotidiana duplicata continua vix ſpei ſatisfecit cortex, niſi cum acidis mixtus fuerit, nocuit, ſi præmature, & antequam regulariter intermitteret febris, exhibitus fuerit, continentem enim reddidit febrim, inflammationes produxit, quæ vel in ſuppurationem vel in gangrænam partium tranſierunt. (HILLARY'S *Obſerv. on the diſeaſes in the Island of Barbadoes. p.* 108.) Niſi igitur febres continentes, inflammatoriæ, ſuppurantes, benignæ admodum ſint, & fere intermittant, nocere corticem

ticem, etſi etiam apparente peculiari quodam typo intermittentes mentiantur. (WERLHOF *l. c. p.* 93.) Facile enim Medicum decipi poſſe, ut ex manifeſtioribus febris acceſſionibus ex intermittentium genere ipſam eſſe autumet, ideoque corticem adhibendum eſſe cenſeat, cum tamen vere continua ſit, unde ſæpiſſime lethalis eventus. (RAMAZZINUS *Oper. p.* 130. FREIND. *Comment. III. p.* 24.) Neque ettam vix unquam vere indicari corticem in febribus continuis, ſi ſaltem exhibendi ipſius opportunitas ex viribus remedii ſatis exploratis, & ex ipſa febrium iſtarum conditione definienda ſit; cum in his continuis acutis febribus vires animales oppreſſæ potius quam deficientes reperiantur, uti ſalutaris effectus venæſectionum, clysmatum, diluentium, antiphlogiſticorum, purgantium, actioni corticis contrariorum potius quam congruorum, id luculenter declarent; vires vero vitales ad ſanationem perficiendam ſatis vigeant, & perſæpe jam ſua ſponte actuoſæ nimis eſſe ſoleant, ita ut efficaciſſimo iſto roborante remedio non indigeant, ſed potius ab ipſius uſu peſſime afficiantur; quippe aucta hujus ope fibrarum ſtrictura & diſſolutis magis humoribus, augeantur materiæ morbificæ vires & acrimonia, magis cum humoribus commiſceatur fomes morbi, & ſic febris intendatur: eadem ratione, qua etiam in intermittentibus, quamdiu remittentibus iſtis acutis affiniores fuerint,

rint, ſummam interdum noxam inferat. (WINTRINGHAM *l. c. p.* 316. CARTHEUSER *progr. de febr. intermitt. epid. in collect. Haller. T. V. p.* 88. *A. N. C. Vol. IV. obſ.* 125. *Commerc. Nor. A.* 1739. *p.* 401.) Licet vero in ipſo febrium acutarum decurſu corticis uſum nominati viri damnarint, in ipſarum tamen fine egregium remedium eſſe concederunt, ipſarum reliquiis exſtirpandis, reſtituendis ſecretionibus & excretionibus, roborandis viribus, præcavendis recidivis. (WERLHOF *l. c. p.* 94.)

Interim noſtra etiamnum ætate non deſunt viri celeberrimi, qui corticem inſigni cum fructu exhiberi contendunt, iisdem in febribus acutis, quin in ipſis inflammatoriis. (HEUERMANN *Bemerkungen P. I. p.* 146. MEDICUS *l. c. P. I. p.* 452. HANNES *Brief über d. Frieſel. p.* 25.) Præſertim vero Medicorum plurimi, licet etiam noxam corticis in febribus inflammatoriis confirment, ſummo tamen cum effectu, ſimulac malignitas ſeſe oſtenderit, illico, vel etiam ab ipſo morbi principio, dari conveniunt, ſummasque ejus vires in febribus putridis imprimis & nervoſis contendunt. Jam quidem A. 1699. Medici Vratislavienſes ejus efficaciam in febribus remittentibus contemplati, ſuſpicabantur, annon etiam in malignis proforet. Cum vero triſtiſſimis quibusdam propriis exemplis, tum infortunatis LOWERI,

VERI, SHORTII, aliorumque experimentis, qui nimis audacter corticem in continuis eo quidem cum eventu ægris propinarunt, ut ex centenis aliquot ægrotorum febre vere continua torſorum vix ullus evaſerit ſoſpes, ſed denati ſint omnes, ita ut etiam ipſi illi clariſſimi viri e medio ſublati fuerint, ſumendo in febre continua corticem; (*Ars curandi morbos per exſpectat. p.* 242.) talibus, inquam, exemplis alieni iterum ab hac opinione reddebantur, & ab ejus exhibitione in febribus continuis dehortabantur. (*Hiſtor. Morb. Vratislav. p.* 35.) CAR. RICHA (*Conſtitut. epidem.*) vero in febribus malignis, bilioſo putridis, petechialibus, poſt blandas purgationes inſigni iterum cum fructu ad oppugnandam febrim cortice utebatur, tanquam remedio efficaciſſimo, quod humorum maſſam coerceat, excitatum in ſanguine orgaſmum ſiſtat, atque cohibeat, effrenes impetus moderetur, tendentes ad liquationem humores figat, quo ſaltem, aut remiſſa penitus impetus continuitate, aut coercito orgaſmo, aut humoribus, ne a ſe invicem penitus diſſilirent, interceptis; aut, ſi quæ forte excandeſceret nimis, mitigata febre, redintegrata auctaque viribus natura vincere queat, ac ſuperare hoſtem. Præcipue vero HUXHAM in febre putrida, recte judicans, corticem, cum in ſingulari gangræna tantum valeat, in univerſa humorum corruptione æque profuturum, ipſum, cum exanthe-

themata nigra, vibices, & citiſſima cadaverum putrefactio, gangrænoſam utique ſanguinis diatheſin ſignificabant, optimo cum ſucceſſu poſt ſummum morbi incrementum propinavit, nec otioſe exſpectans ſedimentum laudatum urinæ lateritium, modo ſcilicet vel minimam morbi remiſſionem obſervaſſet. Et cl. PRINGLE in febre caſtrenſi, licet primum corticis viribus in febribus malignis non multum tribuerat, caſu tamen militis cujusdam maligna petechiale febre laborantis, cum gangræna ad dorſum ſimul affectus erat, quam quidem cortex non ſolum juvabat ſed & ipſi febri medebatur, ita de corticis præſtantia convincebatur, ut nunc liberalius & eo quidem cum effectu eo uteretur, ut ex 39 ægris tres tantum mortui fuerint. (*l c. p.* 369.) Inprimis quoque Ill. DE HAEN pluribus obſervationibus tum verum ejus uſum, inchoandi tempus, tum juſtam doſin, reliquasque conditiones ſolidiſſime docuit; & demonſtravit, corticem in malignarum debilitate egregium eſſe & incomparabile cardiacum, in corruptione interna æque ac externa inimitabile alexipharmacum, quod conclamatum in malignis mictum cruentum, cruentamque alvum, ſanet, exanthematum expulſionem ſumma cum ægrorum euphoria promoveat, ſuſtineat, maturet, perficiat, recidivas & pravas metaſtaſes præcaveat, quasvis excretiones criticas ſalutares promoveat, duplici facultate & nimios

motus

motus caloresque moderetur, minores animet, vires erigat, ſanguinem putridum corrigat, diſſolutum denſet, quod & audacter ab initio exhiberi poſſit, tanquam antiſpasmodicorum princeps; (*Rat. med. P, II. p.* 176- *P. III. p.* 64. *P. VIII. p.* 102.) quod idem etiam innumeris obſervationibus a cl. MEAD (*Op. T. I. p.* 37.) LUDWIG, (*Adverſ. med. Vol. I. P. I. p.* 68.) MONRO (*l. c. p.* 18.) HILLARY (*l. c. p.* 164.) ROSENSTEIN (*l. c.*) WALL (*Phil. Tranſ. Vol. XLIV. p.* 583.) CLARCK (*Diſ. in hot. countries. p.* 145.) aliorumque abunde confirmatum legimus, quorum in præſens usque tempus iterata experimenta extra omne dubium poſuerunt, corticem in omnibus febribus malignis, putridis, nervoſis, cum lingua tremula, contracta, nigra, floccorum collectione, tendinumque ſubſultu, aliisque malignitatis indiciis, omne punctum abſolvere, modo uſus protractus ſit, urgentiaque ſymptomata attendantur, ſub cujus uſu criſes non ſolum contingant, ſed perſæpe ita perficiantur, ut ſudores inconſtantes emendentur, pariter ac motus præternaturales ſpaſtici, qui criſin perturbare ſolent; & gravius diutiusque multo laborare ægros, ubi cortex non datur, ſed ſolis diluentibus ac reſolventibus ex vulgari methodo antiſepticis cura tentatur. (VAN DEN BOSCH *l. c. p.* 36.) Ita ut omnino miremur, cl. WERLHOF, qui corticis vires adeo accurate cog-

cognitas habuerat, tamen neque ultimis ante mortem diebus mentem ſuam circa noxium corticis in febribus acutis uſum mutaſſe. (*Oper. T. I. p.* 94. *not.* *)

Ut autem, quid verum inſit diverſis his corticis in febribus acutis laudibus ac vituperiis, conſtet, neceſſe eſt, ut naturam harum febrium paulo accuratius examinemus, quippe a ſola illius diverſitate diverſus atque contrarius quem obſervarunt corticis effectus explicari poſſit. Quodſi autem febres continuas quoad cauſarum ſuarum differentias, quibus curatio ipſarum rationalis unice innititur, conſideramus, patet, alias continentes imprimis ex vitioſa ſanguinis conditione, & quidem aut ex inflammatoria aut ex putrida humorum diatheſi oriri; alias inprimis remittentes ex colluvie impura primarum viarum ſive bilioſa ſive pituitoſa ſive verminoſa; alias tandem ex nervoſi ſyſtematis morboſa conditione, ſive peculiari & nimia ſenſibilitate, ſive nimio torpore produci, quare etiam eo reſpectu febres in diverſa iſta inflammatoriarum, bilioſarum, putridarum, nervoſarum & malignarum genere recte diſtinxerunt.

Quod primo febres inflammatorias attinet, ſive ſimplices ſint, ex diatheſi ſanguinis phlogiſtica quaſi per univerſam humorum maſſam diſperſa oriundæ, & ſine partiale quadam inflammatione

Q appa-

apparentes, ſive complicatæ cum inflammationibus localibus, exanthematibus, aliisve ſymptomatibus a cauſa materiali haud neceſſarie pendentibus; ex ipſarum quidem ſymptomatibus & cauſarum producentium ratione, ex pulſu iſto duro, pleno, celeri, lingua arida, cute ſicca, urina rubra, faciei rubore, totius corporis æſtu, alvi ſiccitate, ſiti, ſanguine vena miſſo ſpiſſo, cruſta inflammatoria tecto, clare eluceſcit, in hiſce febribus ſolidorum nimiam ſtricturam, fibrarum nimiam irritabilitatem, humorum nimiam denſitatem peccare; ſimul patet, ea præcipue hic requiri remedia, quæ irritabilitatem minuendo, ſolida laxando, exceſſum motus vaſorum cohibent, humorum nimiam copiam minuunt, fervidi ſanguinis æſtum temperant, cruorem phlogiſticum diluunt & reſolvunt, copiam materiæ perſpirabilis augent, ſecretiones & excretiones juvant; præcipue ideo hic indicari venæſectiones, diluentia, temperantia, antiphlogiſtica interna, clysmata emollientia, balnea tepida, victum tenuem vegetabilem, regimen temperatum; & ſi forſan molimina deprehendantur, quibus natura materiam quandam morboſam per cutim aliasve vias ejicere conetur, actuoſitate tamen illa careat. quæ ad opus perficiendum requiritur, tunc leniorum excitantium, diaphoreticorum, camphoræ inprimis, ſinapiſmorum, veſicatoriorum vim requiri.

An

An vero ipſe cortex vim habet, diatheſin inflammatoriam ſanguinis corrigendi? Plerique in eo conveniunt, corticem in febribus inflammatoriis nocere potius, quam prodeſſe. In pleuritide, peripneumonia, angina, atque id genus febribus inflammatoriis corticem ſemper obeſſe, contendit SYDENHAM (*Oper. p.* 198.), & id perpetuum eſſe, ubi ſanguis denſus admodum ac tenax atque inflammationibus aptus ſit. (HUXHAM *T. I. p.* 299.) Vis enim corticis roborans ita ſeſe habet, ut non ſolum humorum & partium firmarum denſitatem adaugeat, ſed & vires vitales & totius generis nervoſi robuſtiores reddat, hinc ubicunque ille adhibetur, pulſus vividior, calor & perſpiratio auctiores redduntur; & licet generatim ex adſtrictoria ejus virtute non facile metuenda ſit noxa, in hoc tamen caſu, ubi nimirum plethora vera adſit, aut ad commotionem ſanguinis nimiam excitandam aliunde ſenſilitas corporis major fuerit, aut fluxus excretionesque conſervandæ ſint, cortex facile nocebit, ſenſibilitatem & irritabilitatem magis excitando, vires cordis & vaſorum incitando, ſanguinis ideoque circulum & calorem, hinc ipſam iſtam phlogiſticam denſitatem augendo.

Interim nonnulli ſunt, qui corticis vim in febribus inflammatoriis ſumme extollunt; inter quos primus nominandus eſt HEUERMANN (*l.*

c.) qui corticis vires in angina, eryſipelate, pleuritide, peripneumonia, inflammatione uteri, ſummo cum fructu adhibuit, graviſſimarumque inflammationum diſcuſſionem modo ab hoc ſolo remedio, modo cum venæſectionibus, clyſmatibus, veſicatoriis nupto frequentiſſime obſervavit; cui aſſentitur cl. MEDICUS (*l. c.*), qui ſe ipſum quondam ea in opinione fuiſſe fatetur, corticem in inflammationibus vel inutilem vel noxium eſſe, ſanguinem ſpiſſum magis inſpiſſando, quin ipſe idem quod alii egregii viri nonnunquam obſervarit, uſum corticis in hiſce febribus nullum ſymptomatum decrementum, ſed potius æſtus exacerbationem produxiſſe; at cum A. 1761. febrem intermittentem cum diatheſi inflammatoria complicatam obſervaſſet, atque adverſus hanc ſine ullo detrimento ſed cum ſummo potius emolumento corticem magna copia adhibuiſſet, his obſervatis audaciorem ſe redditum fuiſſe, ut ipſis etiam febribus inflammatoriis corticem deſtinaret; cujusque methodi utilitatem tribus exemplis clare demonſtrat; unius ægri peripneumonici, qui neque antiphlogiſticis internis, neque veſicatoriis juvabatur, ſed accedente purpura, tendinum ſubſultu, phrenitide, diarrhæa putrida, in ſummum vitæ periculum conjiciebatur. infuſo vero corticis cum nitro & cremore tartari mixti brevi reſtituebatur; alterius viri plethorici valida inflammatoria febre correpti, eodem cortice cum

nitro

nitro & camphora nupto ſervati; matronæ demum, periculoſa febre itidem inflammatoria correptæ, ſimili modo cortice ſervatæ, licet antea efficaciſſima remedia incaſſum adhibita fuerint; ita ut pateat, methodum antiphlogiſticam hactenus cognitam ſufficientem ſæpe non eſſe, corticem autem peruvianum eam reddere perfectiſſimam. (*l. c. p.* 452.) Etiam cl. HANNES excitatus felicibus tentaminibus a cl. HAGEMANN & BINGERT factis, corticem in febribus inflammatoriis cum camphora & nitro mixtum ſummo cum effectu propinavit. (*l. c.*)

Facile hic circa corticis virtutem antiphlogiſticam Medicorum diſſenſus tolli poterit, modo ad diverſa iſtarum febrium ſtadia, quibus hoc remedium adhibitum fuit, attendatur. Extra omne dubium eſt, ſymptomata iſta, quæ a febre inflammatoria producuntur, effectus eſſe irritamenti cujusdam, quod præexiſtente quodam vaſorum & ſanguinis ſtatu, illorum nimirum rigiditate, hujus abundantia & denſitate, febrim excitaverat, cujus ſymptomata aperte nituntur vehementiore cordis & vaſorum actione, motuque ſanguinis nimis accelerato, calore majore, nervorum nimio vigore, ſanguinis vel in vaſculis minimis ſtagnatione, vel in telam celluloſam partis cujusdam effuſione; eoque graviora & periculoſiora ſymptomata eſſe, quo ſanguis cordis & va-

 ſorum

ſorum actione magis commoveatur & condenſetur; neque aliam, quamdiu hæc durant, feliciter adhiberi curam, quam qua irritamentum iſtud tollitur, ſanguinis denſitas & copia minuitur, ſolidorum motus moderatur, vaſa relaxantur & ad debitum ſuum tonum reſtituuntur, functiones partium affectarum ſublevantur, ſtagnantium reſolutio, aſſimilatio, vel per criticas evacuationes exitus adjuvatur. Nulli vero harum indicationum cortex ſatisfacere poteſt, quacunque nunc forma adhibeatur, ſed vires cordis & vaſorum incitando, orgaſmum & calorem augendo, cauſam febris potius auget. (BUCHNER *Diſſ. de virtute C. P. antiphlogiſtica. Hal.* 1768.) Secretiones itaque & excretiones liberalius iterum contingere debent, antequam cortex adminiſtratur, & quamdiu lingua adhuc ſicca, cutisque arida eſt, nullam præſtabit opem; (FORDYCE *v. den Fiebern. p.* 133. 134.) probe etiam cavendum, ne apparente vel minima febris intermiſſione ſtatim ad corticem accedamus; ceſſabit quidem febris, aſt materia morboſa in ſanguine nunc retenta mox novum producet morbum priore pejorem, qui ſapiente exſpectatione, usque dum naturæ vires noxiæ materiæ coctionem & excretionem perfecerint, præcaveri potuiſſet. (GRANT *Beobacht. ü. d. Fieber. p.* 135.)

Aſt

Aſt dictus febrium infiammatoriarum ſtatus non ſemper idem perdurat, neque poſt primum ſtadium continuo febris finitur; ſed ubi primum ſtadium ſuum exceſſerit modum, vel incongrua auxilia adhibita fuerint, alterius nunc ſtadii ingruunt ſymptomata, in quo methodus antiphlogiſtica non ſufficit, ſed alia ipſi vel ſubſtitui vel jungi debent remedia. Iſta enim ſanguinis denſitas nimis rapido motu nimioque calore facile in ſtatum ſolutionis & putredinis tranſit, & quævis febris inflammatoria gravior, ſimulac ſummus violentiæ gradus apparuit, in veram putridam abire ſolet; vel ſi etiam hoc non contingit, ſenſim tamen vaſa ob immodicam, & nimis intenſam actionem tonum ſuum amittunt, vires exhauriuntur, unde criſes retardantur, perverſæ fiunt, & febres vel recidivæ fiunt, vel malas retaſtaſes producunt. Ubi ergo in ſummo febrium inflammatoriarum ſtatu talia ſymptomata oriuntur, quæ neque ex ſanguinis abundantia & denſitate, neque a nimio ſolidorum robore deduci poſſunt; ſed quæ potius a nimia per ipſam febrim incitata ſupraque modum aucta irritabilitate, vaſorum imbecillitate, nervorum affectione, virium nimio torpore, humorum incipiente in putredinem niſu producuntur, tunc ab antiphlogiſticorum nimis refrigerantium uſu deſiſtendum; tonum enim vaſorum jam laxatum magis minuerent & ad reſolutionem humorum ſtagnantium magis in-

 ertem

ertem redderent emollientia, relaxantia; torporem virium vitæ magis augerent, criſes hinc retardarent, & ſtagnantium in putredinem niſum magis promoverent nitrum, oxymel, aliave refrigerantia laudatiſſima; nimiam irritabilitatem, nervorum ataxiam augeret, ſymptomata nervoſa accerſeret, motus criticos ſufflaminaret magis, repetita ulterius venæſectio; certe enim ob hanc ſolam cauſam, nimis diu nimirum continuatum antiphlogiſticorum uſum, lethalem febris exitum ſæpe obſervavit cl. GRANT (*l. c p.* 135.); potius leniora roborantia, balſamica, ſedantia, nervina, antiphlogiſticis ſubſtituenda vel ipſis jungenda; nonne vero hic egregie locus erit cortici, nonne vi roborante ſua tales febres tali ſub ſtatu curare poterit ſoli antiphlogiſtico methodo hactenus reſiſtentes; & tales certe caſus fuerunt, in quibus celebres illi Viri fructuoſe corticem adhibuiſſe legimus. Omnes enim antiphlogiſtica remedia ſatis diu præmittenda, ſanguinis copiam antea minuendam, plethoram ac denſitatem ſanguinis corticis bonum effectum impedire, & tunc demum efficax remedium eſſe docent, ſi nitrum copioſe ipſi admiſceatur, venæſectiones, veſicatoria, clysmata juxta ejus uſum adhibeantur. (MEDICUS *l. c. p.* 462. 492.) Non ergo veram antiphlogiſticam vim ipſi tribuunt, neque eum in ſtatu vere inflammatorio adhibent, ſed in altero demum & tertio ſtadio, cum videlicet febris ale-

retur

retur nimia irritabilitate & debilitate, & ex hisce cauſis vel ob corruptam humorum qualitatem criſes inſequerentur nullæ, vel imperfectæ roborantium ope ſublevandæ.

Sequentes igitur reſpectu corticis in febribus inflammatoriis uſum ſtatui poſſunt regulæ. Primo, nocet cortex in omnibus febribus inflammatoriis puris ac veris, præcipue in primo morbi ſtadio, quousque vera ſanguinis abundantia, denſitas inflammatoria cum vaſorum tenſione & incitato motu obſervatur. Neque vis ejus antifebrilis neque roborans iſta ullum uſum habere poterit. Non ſolum enim ipſam cauſam febris, diatheſin iſtam inflammatoriam, adauget, ſed dum circulationem & calorem intendit, ſimul febris in putridum ſtatum tranſitum accelerat; vires vero forſan debiliores, quas roborante cardiaco ſuſtentandas eſſe crederes, non reficit, nervorum enim compreſſionem, humorum copia, denſitate & rarefactione inductam, quæ debilitatem iſtam producit, minuere non poteſt ſed potius auget, venæſectionibus potius, diluentibus, refrigerantibus tollendam. Secundo, ſi vero febris in alterum ſtadium ſolutionis ac putredinis tranſire jam inceperit, ſolidorum vires tono ſuo amiſſo labefiunt, pulſus fortis & durus antea in mollem & debilem mutatur, cortex prodeſſe poterit, uti enim in primo ſtadio febrim magis incitaſſet, ſic

 in

in hoc ſtadio, irritabilitatem nimiam minuet, humorum corruptionem incipientem corriget, vires ad criſin neceſſarias roborabit. Tertio, in vigorem harum febrium non raro ſingularis quædam incidit debilitas, ipſa ſalutaris naturæ efficacia producta, dum nimirum coctam nunc materiam febrilem eliminare contendit, per excitatas ſpaſticas congeſtiones alia inter ſymptomata gravem interdum virium animalium languorem producit. Ipſis iſtis nimiis vaſorum contractionibus ſub primo ſtadio contingentibus vaſa laſſantur, impotentia & debilitas neceſſario inducitur; criticæ porro ſive ſanguineæ ſive ſeroſæ egeſtiones modum interdum excedunt vel nimis præcipitantur, ita ut nunc ſubito humores ſubſideant nuper æſtuoſi & ad ſummum gradum rarefacti, pulſus fortiſſimus antea nunc fere deficiat, quæ ſubita vaſorum relaxatio flacciditatem neceſſario inducere debet. Huic virium debilitati ſub criſi contingenti egregie ſuccurret cortex, ut quod ſupereſt coctionis & criſeos perficere poſſit natura, quæ neglecto cortice incompletas criſes produxiſſet. Certe cl. QUARIN talibus in caſibus in ægris febribus ardentibus inflammatoriis vexatis, quotidie ſummum hujus remedii effectum obſervavit, ubi per evacuationes ſanguinis & remedia diluentia ac attenuantia indoles earum phlogiſtica jam fere demta fuit, febris vero pergat & vires langueant, maxime ubi manifeſtæ & regulares exacer-

acerbationes apparuerint; licet idem etiam ipſum in primo ſtadio rejiciat, & quamdiu pulſus fortis durus eſt, etiamſi venæſectiones ſint inſtitutæ, primæ viæ purgatæ & vires admodum proſtratæ, non prodeſſe, immo morbum augere, interdum quidem ſubito jugulare, ſed febres longiores, criſes tardiores & imperfectas & crebiores recidivas producere contendat, (*meth. med. febr. p.* 23, 26. 27.) quare etiam ubi indicetur, ab ipſo iterum deſiſtendum eſſe docet, ubi vires & pulſus iterum inſurgant. (*ibid.*) Quarto, debilitas poſt febrim ſuperatam relicta roborantibus tollenda ſemper eſt. Fibrarum enim nuper tenſarum recentiſſime relaxatarum ſumma propenſio eſt in motus novos, qui corpus ad febrim recidivam facile diſponunt; victus inſuper convaleſcentium plenior ventriculo debili concoqui non poteſt, chylus hinc copioſus quidem at crudus ſanguini admiſtus nimis aggravat imbecille corpus; alvus ob atoniam inteſtinorum nimis tarda ventrem gravat; aer frigidus appellens cutis ſpiracula nupera criſi relaxata conſtipat, materiæ perſpirabili obicem ponit, & ad interiora repellit, omnes ceteræ externæ cauſæ, motus, vigiliæ, animi affectus debile corpus exagitant, febriles æſtus recens compoſitos in tenero & irritabili corpore facile revocant. Ad hæc præcavenda nullum præſtantius remedium eſt cortice, quem acutorum morborum reliquiis exſtirpandis, reſtituen-

dæ

dæ tranſpirationi inſenſili, robur naturæ addendo, recidivis vel lentis tabificis ægritudinibus præcidendis adeo commendavit WERLHOF (*l. c. p.* 51.) Caveamus vero, ne quoad cauſam hujus debilitatis fallamur, ſed ſollicite inquiramus, numne forſan diatheſis inflammatoria & ſtaſis ſanguinis viſcidi in vaſculis minimis eam producant; lentor enim inflammatorius, recte monente cl. KLOECKHOF (*Opuſc. med. p.* 256) ſæpe nonniſi paulatim integre reſolvitur, id quod pellis inflammatoria arguit, quæ ſanguini propius criticas egeſtiones miſſo tenuata quidem, ſed tamen craſſa ſatis ſæpe incumbit, ita ut nec pulſus quidem ſtatim a criſi parvi & molles lentorem hunc integre correctum ſemper ponant; unde tutius eſt, talibus ſub conditionibus tenuiorem victum & abſtemium continuare, & roborantibus corpus firmare differre, quæ calefaciente vi humores profundius impingunt, imperviaque vaſa citius adſtringunt, quam infarctus ſolutus ſit; (VAN SWIETEN *T. II. p.* 285.) vel ſi porro reliquiæ materiæ morboſæ ad inteſtina delatæ, vel cruditates ex cibis indigeſtis more ſua virium plenam reſtitutionem impedirent, certe purgantia leniora ſecurius & certius vires reſtituent, quam roborantia quæcunque optima.

Secundum febrium continuarum genus quod attinet, nimirum biliosarum, harum naturam in

eo

eo poſitam eſſe conſtat, quod colluviem quandam vitioſam in primis viis latentem pro cauſa ſua agnoſcant, quæ quidem cum febribus iſtis ita connexa ſit, ut una cum ſuis ſymptomatibus non ceſſent, niſi expurgata illa colluvie; cujus quidem diverſa eſt ratio, ita ut nunc bilis ſincera in ventriculo & inteſtinis effuſa, nunc bilis cum pituita varia proportione mixta ſit. In eo vero convenire ſcimus haſce febres, quod prægreſſis per aliquot dies laſſitudine, vertigine, anorexia, ægros cum horrore corripiant, quem ſequitur æſtus cum dolore capitis, anxietate, ſiti, variisque aliis præ materiæ irritantis majore vel minore copia & acrimonia ſymptomatibus, virium proſtratione, pervigiliis, deliriis, ſoporibus, motibus convulſivis, hæmorrhagiis, lingua ſqualida, muco tenace plus minus flavo obtecta, oris amaritie, ſapore putrido, nauſea &c. Plerumque vero ex remittentium genere ſunt, ita quidem, ut remiſſiones eo evidentiores appareant, quo major copia colluviei impuræ in primis viis contentæ adſit, eo obſcuriores, quo magis ad inflammatoriarum indolem accedunt. (PRINGLE *l. c. p.* 179.) Differunt vero pro diverſa aeris & corporis conſtitutione, ita ut modo in ſanguine vitium manifeſtum haud deprehendamus, modo vero colluvies iſta ipſum ſanguinem mutarit, ſive nunc hæc mutatio magis ad diatheſin inflammatoriam vel potius ad putredinem vergat.

Præ-

Præcipuum vero curationis harum febrim momentum in eo conſiſtit, ut ſomitem bilioſum in primis viis hærentem vel ita corrigamus, ut amplius nocere nequeat, vel ſi alterari non poſſit, & acrimonia & mole gravius noceat, evacuare ſtudeamus; præmiſſis quidem vel digeſtivis ſolventibus, ſi ante expulſionem materiæ craſſæ glutinoſæ tenaci tenuitas & mobilitas conciliianda eſt; vel diluentibus, demulcentibus, involventibus, ſi adeo mobilis & acris deprehendatur, ut vel leniſſimo addito ſtimulo irregulares motus cieat, & nimis impetuoſe exitum moliatur. Cocti vero & ad evacuationem præparati humores ea qua natura oſtendit via educendi ſunt, ſupra turgentes quidem per emetica, inteſtinis vero inſidentes & infra vergentes per purgantia, vel per utramque viam ſimul; expulſis turgentibus ſordibus reſiduæ crudæ porro coquendæ ſunt, & ſalibus atque ſuccis acidis putredo corrigenda, concreta bilioſa ſolvenda, ſitis ſedanda, calor temperandus, evacuationibusque deinde repetitis id quod reſiduum eſt, plenarie educendum eſt; debilitas tandem atque infirmitates reſtantes idonea diæta, regimine, remediis laxatas fibras roborantibus tollenda, relictæ forſan viſcerum hepatis inprimis obſtructiones ſaponibus, ſalibus, aquis mineralibus, ſimilibusque ſolventibus reſerandæ, ſuperatisque obſtructionibus continuato tonicorum uſu recidivæ præcavendæ ſunt.

(TIS-

(TISSOT *de febr. bilioſa Lauſ. Opuſc. T. I. p. 22. ſqq.*)

Quodſi nunc veras iſtas indicationes ad curationem febrium bilioſarum comparemus cum viribus corticis peruviani, facile videbimus, quatenus ejus uſus ipſis congruat. Et quidem, quod primum febrium bilioſarum genus, nimirum ſimplices attinet, quarum. nullo exiſtente ſanguinis vitio, curationis cardo in expurganda primarum viarum colluvie unice verſatur, ne minimum quidem ex illo remedio emolumenti capiunt, quod per ſe neque iſtas ſordes corrigit, neque evacuat, ſed roborante & adſtringente qualecunque ſua vi materiæ alvo evacuandæ excretionem potius præpediret, hinc ejus molem potius augeret, acrimoniam intenderet, reſorbtionem promoveret, viſceribus jam infixam profundius adhuc impingeret, febrim ideoque augeret, & præcipue ſi diatheſis inflammatoria ſimul adeſſet, ſtaſes, congeſtiones, inflammationes ab acrimonia bilis jam excitatas adhuc magis augeret. Verum quidem eſt, ſummam virium, quæ ſæpe in hiſce febribus contingit, proſtrationem. aliaque malignitatis ſic dictæ ſigna, roborantis corticis applicationem ſuadere interdum videri: aſt hic virium defectus uti cetera ſymptomata nonniſi ab iſta corrupta bile originem habet; ſæpe enim in febribus aliquid circa præcordia hæret, quod ve-

nena-

nenata quaſi vi omnes vires uno momento proſternit, & quamdiu ibi hæret, ſummam debilitatem inducit, quamvis nulla jactura fluidorum prægreſſa fuerit, neque mutabilis ulla in ſolidis liquidisve mutatio; emetico vero dato, omnia ſæva illa ſymptomata, quæ adſtantes perterrefecerant, illico mitigantur ac ſolvuntur, & reliquum morbi facile toleratur. Et uti in iisdem febribus pertinaciſſimæ vigiliæ non opiatis ſed purgantibus facillime cedunt, ferociſſima deliria optime & unice evacuantibus pacantur; ſic certe neque ſumma debilitas cardiacorum uſum vel expoſcit, vel admittit; neque a purgantium uſu abſterreri nos oportet, ſi etiam membrorum ſubſultus vel motus convulſivi in ægri corpore perſentiſcamus, unicum enim ſæpe emeticum, dum fluctuantem acrem & copioſam bilem actiones cerebri turbantem evacuat, uno momento tremores iſtos & convulſiones, & ſuſpiria & jactationes ceteraque malignitatis ſymptomata tollit, viresque revertuntur, prouti de iſta ſaburra detractum fuerit. Quot enim ſunt cauſæ debilitatis, tot cardiacorum genera, nec aliud datur cardiacum, quam quod debilitatis cauſam tollit. (SYDENHAM *Op.* *T.* *I.* *p.* 32. 360. BAGLIV *Op.* *p.* 52. BOERHAAVE *Præl. de morb. Nerv.* *p.* 360. VAN SWIETEN *T.* *II.* *p.* 271. TISSOT *l.* *c.* *p.* 129.) In his itaque febribus emeſes & alvi ductiones cardiacorum effectus præſtant; & ſi debilior

bilior videretur æger, non metu mortis, ſed ſcopo excretiones juvandi, excitantia leniſſima præſcribemus, acida, oleoſa blanda, vinum, ſpiritus acidos dulcificatos, & ſimilia, quæ efficaciſſime omni putredini reſiſtunt, grata fragrantia languentem ventriculum reficiunt; vitabimus calida, ſpirituoſa, quæ ſtimulum & calorem augent, ſecretiones præpediunt, materiam morboſam impingunt. Verum quidem eſt, nullum præſtantius tonicum eſſe cortice peruviano, nullum par ſedans in ataxiis nervorum, atoniam & mobilitatem ultra omnem ſpem tollens; ſed quid poſſunt ſelectiſſima tonica contra morbos, quorum ſanatio ſolis evacuationibus nititur; (TISSOT *l. c.*) & certe, uti recte dicit BAGLIV, chinam chinam dare impuro corpore, piaculum eſt; dicant enim, dandam eſſe, ut impetus ſymptomatum tunc furentium coerceatur, & refrænetur, ut inde æger ſymptomatum ſopita vi diutius poſſit morbo reſiſtere, at ſi tu loco frænandorum ſymptomatum pravos humores per chinam chinæ in aliquo viſcere figas ac concludas, & ita internam parias inflammationem, nonne tu culpandus eris? (*Oper. p.* 381.)

Neque etiam manifeſtiores febris remiſſiones nos ad præmaturum corticis in hiſce febribus uſum ſeducere debent, cum hæ remiſſiones eſſentialiter a colluvie iſta producantur,

& hæ febres ad remiſſiones eo proniores ſint, quo magis a colluvie inteſtinali pendent (PRINGLE *l. c.*), nil ergo valeat cortex ad exacerbationes ſequentes præſcindendas, ſed, cum cauſam adaugeat, potius vehementiores & longiores reddat, febresque in continentes mutet. Epidemicam vere bilioſam febrim deſcribit cl. MONRO (*v. der Feldkrankh. p.* 126.) ab initio continentem, dein vero poſt aliquot dies remittentem, nauſea, vomitus bilioſus, diarrhæa bilioſa, ictericus color, ipſaque cadaverum ſectio, febrem ex ſordibus bilioſis originem ducere ſatis manifeſte docebant, complicatam quidem cum diatheſi ſanguinis inflammatoria; hinc præmiſſis venæſectionibus, emetica, ſalina, clyſmata, febrem mox mitigabant, ita ut indies magis remitteret, & tandem penitus ceſſaret; cum vero in quibusdam nimis diu febris protrahebatur, aliquoties, poſtquam primas vias ſufficienter purgatas eſſe crederet, & remiſſiones manifeſtæ apparerent, uſum corticis tentavit, nullum vero inde emolumentum ſe obſervaſſe teſtatur, ſed potius æſtum & febrim inde ita augeri vidit, ut coactus fuerit, ab ejus uſu deſiſtere, ne remittens febris in continentem abeat; in eo ſolum caſu proficuum ejus uſum fuiſſe, ubi vel febris remittens in veram intermittentem permutata fuerit, præmiſſis enim evacuationibus cortici nunc facile cedebat; vel ubi febris jam integre ceſſavit, debilitas tamen adhuc

adhuc continuabat atque integram reſtitutionem retardabat; tunc enim cortex convaleſcentibus auxilio erat, licet etiam tunc tutius fuerit cum cortice purgantia combinare. Ægrotum febre bilioſa correptum vidit ELLER (*de cognoſc. & cur. morb. acut. p.* 86.), cui ſtatim poſt febris ingreſſum corticis peruviani extractum fuit exhibitum, ſed eo eventu, ut febris per quatuor circiter ſeptimanas eodem tenore protraheretur; cum nulla hocce remedio evacuatio ſubſequeretur, materialis ideo cauſa in corpore retineretur; quæ hinc per metaſtaſin ad pectus delata aſthma ſpaſmodicum inducebat; quo æger debilis & extenuatus poſt quindecim menſes vix liberatus fuit. Similem noxam præmaturi corticis in febribus bilioſis uſus in juvene quodam obſervavit TISSOT; cum enim Medicus exacerbationes quotidianas obſervaſſet, ſtatim præmiſſo purgante corticis largioribus doſibus febrem tollere conabatur; at continuo res in pejorem mutabantur, exacerbationes diutius protrahebantur; calor fervidus, acutus capitis dolor, anxietates. vigilia augebantur, & etiam in intervallis inquietudo ſumma, moroſitas, faſtidium, cutis ſicca, pulſus celeris, tuſſis, debilitas ſumma remanebat; vocatus cl. Vir miſſo cortice evacuantia ſtatim ipſi ſubſtituit, unde alvus bilis copiam evacuavit, eo effectu, ut ſequente mox die paroxyſmus mitior fuerit; tertio ſomnus, fames, quietudo, & in-

tra decem dies optima valetudo redierit ægro, qui ſaluberrimi ſed inepte adhibiti corticis uſu mox maraſmoideus occubuiſſet; (*l. c. T. I. p.* 42.) & in tribus aliis ægris in eadem epidemia febre citius cortice & narcoticis ſedata graviſſimas viſcerum obſtructiones ſuccedere vidit. (*l. c. p.* 71.) Etiam PRINGLE, licet quidem ex corticis uſu paroxyſmos febris breviores reddi, ſæpe tamen mox pectus inde gravius affici & hecticam febrim relictam obſervavit, cum e contra, ſi modo evacuantibus remediis inſiſtebatur, exacerbationes quotidie leniores fieri & perfecte demum evaneſcere ſemper viderit; (*l. c. p.* 243.) & HOME (*Med. Beob. u. Verſ. p.* 18.) raro bonum effectum ex corticis in remittentibus bilioſis uſu obſervavit, ſed, ſi pulſus celeritas remiſſionis tempore adhuc pergebat, ſemper nocebat, cutis & linguæ ſiccitatem augebat. Cl. BROCKLESBY (*l. c. p.* 123.) licet quandoque neceſſarium duxerit, evacuationibus roborantium uſum, ut ægri vires recuperarent, interponere, ſæpe tamen vidit, ægros brevi in priſtinam febrim relabi, usque dum evacuationes iterum inſtituerentur; & cl. GRANT (*l. c. p.* 381.) in febre bilioſa corticem ſemper nocere contendit, quamdiu ſordes nondum ex corpore eliminatæ ſint, & etiam tunc non vi antifebrili ſed tonica tantum prodeſſe, niſi forſan eo in caſu, ubi febris aut in intermittentem tandem tranſierit, aut ab initio qui-

quidem intermittens erat, ſed non manifeſte apparens, usque dum impuritates evacuatæ fuerint. Ex quibus omnibus optimorum Medicorum ſententiis manifeſte apparet, generatim corticem contraililioſas febres nihil valere, neque cauſæ ipſarum mederi, ſed hoc reſpectu potius nocere, & tunc tantum cum fructu adhiberi, ſi, licet impuritates primarum viarum ſufficienter ſint expurgatæ, febris tamen adhuc perſiſtat, ſive remittens, ſive in intermittentem mutata, licet etiam tunc opus ſit eum cum ſale ammoniaco, rhabarbaro, ſimilibusve ſolventibus & leniter evacuantibus combinare; (PRINGLE *l. c. p.* 243. MONRO *l. c. p.* 141.) & ſi tandem febris ſublata ſit, tunc egregie curationem adjuvare, & recidivas ex ſolidorum relaxatione facile oriundas præcavere; licet etiam hoc in caſu cauſæ retardationis virium probe examinandæ ſint, num debilitas iſta ex febre reſidua vere ex defectu nutritionis & ſolidorum laxitate proveniat, vel num potius impuritates in corpore retentæ vel denuo generatæ virium refectionem retardent, hoc enim in caſu vires non redeunt, niſi denuo repurgatis & demum roboratis primis viis.

Interdum vero contingit, quod ſi verſus morbi finem roborandi ſcopo cortex adhibeatur, frequentes inde dejectiones oriantur; talis diarhæa ſæpe ſalutaris & indicio eſt, roborata cor-

tice inteſtina id quod ſupereſt materiæ morboſæ adhuc expellere, hinc tuto ſibi permitti poteſt, ſponte enim tandem continuato corticis vel juncto ejus cum rhabarbaro uſu ſedatur; ſi vero nimis vehemens ſit, appetitus & vires exinde indies minuantur potius quam augeantur, nullis tamen apparentibus ſordium ſignis, ſignum eſt ſummæ inteſtinorum ex frequentibus evacuationibus inductæ irritabilitatis, ſedantia igitur & adſtrigentia cum cortice combinanda ſunt. (SYDENHAM *l. c.* BROCKLESBY *l. c.*)

Quod vero alterum febrium biliosarum genus attinet, nimirum febrium bilioſo - putridarum, in quibus ſigna bilis putridæ in primis viis hærentis, & diatheſeos ſanguinis putridæ ſimul adſunt, quæqne ſummam virium proſtrationem, ſitim, pervigilia, deliria, ſopores, convulſiones, æſtum acerrimum, icterícum corporis colorem, hæmorrhagias profuſas, petechias, meteoriſmum, ſanguinem vena miſſum floridum laxe conſiſtentem, cum ſero flavo virideſcente, ſecum habere ſolent, in hiſce iterum conditiones & diverſa febris ſtadia probe diſtinguenda ſunt. Differunt enim inter ſe, ita ut modo febris tantum ex bilis putrefactione & hujus cum ſanguine commixtione oriatur, modo a cauſa quadam epidemica naſcatur, quæ uno eodemque tempore tam primas quam ſecundas vias inficit, ita ut breviſſimo tem-

temporis ſpatio mox omnia ad putredinem ruant, maxima cum nervorum affectione. Utraque febris colluviei bilioſæ evacuationem, hac vero peracta medicamentorum antiputredinoſorum uſum expoſcit. Licet enim aliquando colluviei bilioſæ ſigna in febris initio manifeſta non adſint, ſed in febris decurſu demum appareant, maxime tamen probabile eſt, miaſmata iſta epidemica ſpecifica ſua nociva vi primo humores gaſtricos interque illos bilem præcipue afficere, quæ ubi in ſanguinem tranſiit humoribus aſſimilatur, iisque infectionem conciliat; unde etiam hæ febres in initio uno interdum vomitorio, niſi ex toto tolli, valde tamen vehementia ſua in progreſſu infringi poſſunt; (SELLE *Rudim. Pyretol. p.* 236.) Prima itaque indicatio requirit, ut bilis corrupta evacuetur. Niſi ergo cauſa inflammatoria ſimul adſit, cujus ſigna in pulſus duritie, dolore acuto in regione ventriculi ad aſſumta quævis aucto, tempore anni, vita prægreſſa, conſtitutione epidemica, ſatis certa habere poſſumus, ſtatim evacuantia exhibenda; linguæ enim impuritas ſumma, nauſea, ſenſus ponderis circa ventriculum, ſpiritus foetens, ructus ingrati, dejectiones intolerabiliter fœtentes, aperte indicant, ſine mora per vomitoria aut purgantia prouti natura huc vel illuc ducat, ſordes putridas evacuandas eſſe, quæ ſi non educuntur, magis magisque corrumpuntur, horrendas anxietates, ventriculi

 ægri-

ægritudinem ceteraque ſymptomata augent, & dum in maſſam humorem reſorbentur, genus nervoſum irritant, craſin ſanguinis deſtruunt, lympham in arrodentem pervertunt ichorem. (HUXHAM *l. c. T. II. p.* III) Plerumque vero ad ſuperiora turgent ſordes, ut ſtatim leni emetico eas movere conveniat, & unica tunc emeſis præſtat, quod repetitæ alvi ductiones non tetigiſſent; plerumque autem poſt emetici operationem alvi ſimul frequentiores dejectiones ſequentur, quæ ſi non reſpondeant, clysmate leniore ducendæ, vel ſi & hoc parum reddat, pharmacis idoneis corpus minime turbantibus, ſordes vero optime emollientibus, putredinem corrigentibus, alvus liquanda, doſin vel augendo vel minuendo, & ita alvum moderando, ut ex altera parte virium ruina, ex altera maligni humoris intra corpus retentio impediatur; juxta hæc continuo diluentia ſubacida propinanda, ut materia in ſanguinem jam reſorbta corrigatur; acida inprimis mineralia ad gratam aciditatem diluta, quæ putredini potenter reſiſtunt, & atoniam putredinis comitem corrigunt, largiſſima copia exhibenda; vires vero nimis forſan languentes cardiacis ſed temperantibus potius quam exæſtuantibus, idoneisque ſtimulis excitandæ, & ſic bene miſtus & fluidus ſervabitur ſanguis, ejus acrimonia temperabitur, & reſorbta putrida materia per alvum, urinam, cutim, perpetuo effluet. Si vero

reme-

remediis iſtis incaſſum adhibitis hypochondria tumida, abdominis tenſio, ſomnolentia, deliria, nauſea, ructus, ſudores frigidi inconſtantes, perdurent, ulterius eadem remedia repetenda ac continuanda, neque virium debilitas ab evacuantium ulteriore uſu abſterrere, multo minus ad præpoſterum calidiorum alexipharmacorum occultæ cuidam malignitati oppoſitorum uſum ſeducere nos oportet. Si enim probe diluatur ſanguis, novus putridorum affluxus arceatur, ſenſim omnis malignitas evaneſcit, & ſuo ſemper tempore ſuaque ſponte ſalutares ſudores natura producet.

At celeri adeo progreſſu putredo univerſos humores corrumpit, liquefacit, vires proſternit, & ſyſtema nervoſum perturbat, ut peſſima mox ingruant ſymptomata, deliria phrenitica, ſopores, meteoriſmus, ſedes colliquativæ involuntariæ, hæmorrhagiæ funeſtæ, petechiæ, tremores, motus convulſivi, floccorum lectio, muſcarum venatio, ſummum periculum indicent. Cui ſummo morbi gradui ſtatim efficaciſſima opponi debent remedia. Si igitur debitis evacuationibus prægreſſis, diluentibus acidis large exhibitis, febris nihilominus pergat, vires continuo minuantur, ad corticem præprimis peruvianum confugiendum eſt, cum putredini adeo efficaciter reſiſtat, reliquaque potentiſſima antiſeptica, ſpiritus

præſertim minerales, camphora, ſimul in uſum vocanda. Utut enim inutilis adhuc cortex fuiſſet, quamdiu nimirum putredo primis viis incluſa fuit, ſic ſumme neceſſarius eſt ejus uſus, ubi ad humorem maſſam tranſiit; neque facile veram putridam febrim invenies, quin corticis maturum uſum aut requirat, aut permittat. (TODE *Med. Bibl. I. B.* 3. *St. p.* 166.) Magni hoc in caſu fecit HUXHAM tincturam corticis cum corticibus aurantiorum, radice ſerpentariæ, croco & ſpiritu vini paratam, & elixire vitrioli mixtam, quam ad drachmam unam & plures omni quadrihorio dedit, quæ optimum ſemper edidit effectum, ſolida roborando, majorem ſanguinis diſſolutionem & corruptionem avertendo, craſin ejus juſtam reſtituendo, ſudores utiles & moderatos promovendo. (*l. c. T. II. p.* 118.) Quamprimum igitur verſus finem exacerbationis, quæ quotidie ingruere ſolent, ſymptomatum impetus deſævierit, ſtatim ad corticem confugiendum, & per tempus remiſſionis, quod per aliquot plerumque horas durare ſolet, ejus uſui inſiſtendum eſt; ſi enim plenam intermiſſionem ante corticis uſum exſpectaremus, miſere falleremur, licet omnino multo citior & certior effectus ſit, ubi remiſſiones magis notabiles fuerint. (CLARCK *l. c. p.* 145.) At ubi febris veloci pede verſus putredinem vergit, non exſpectare licet, donec æger per aliquot horas

ſine

ſine ſenſibili febre ſit; calor enim in putridis hiſce non ex attritu, ſed potius a diſpoſitione in putredinem pendet, neque eſt quod a ſtaſibus inflammatoriis viſcerum ex corticis uſu metum concipias, illæ enim his in caſibus non a vaſorum rigiditate, vel denſo phlogiſtico ſanguine pendent, ſed a laxitate potius vaſorum & humorum diſſolutione; neque orinndas viſcerum obſtructiones nimis anxie præmetuas, cum ſanguinis craſis nunc magis ſoluta obſtructionibus minime faveat; in ſummo itaque periculo corticem non ſolum in remiſſione propinemus, ſed etiam in ejus uſu per proximam febris exacercationem perſiſtamus, experientia edocti, quod ſalus ægroti ab hac medendi ratione continuata unice nonnunquam pendeat. (CLARCK *l. c.* QUARIN *l. c. p.* 50.) Non negari quidem poteſt, quod ab ejus imprudente applicatione damna oriri poſſint. Ter maniam, ut alia exempla taceam, a corticis uſu ſupervenientem obſervavit MAKITTRICK (*Diſſ. de febre maligna flava, in collect. Balding. T. I. p.* 148.) Intereſt itaque ut conditiones noſcamus, ſub quibus cortex nocere ſoleat. Et quidem, ſi in primo morbi ſtadio febris bilioſa cum diatheſi ſanguinis inflammatoria mixta fuerit, non raro contingit, corticem anguſtiam ad præcordia, anxietates, pervigilia intendere, deliria & ſtuporem inducere, niſi cum temperantibus antiphlogiſticis combine-

tur.

tur. Si itaque calor febrilis ante remiſſionem fuerit ſatis inſignis, ſi reſpiratio difficilior, pulſus plenus, fortis, anxietas magna tunc ſimul invaluerint, delirium & ſomnolentia ſeſe jam oſtenderint, vel ſanguinea oculorum ſuffuſio, aut vultus ferocitas delirii futuri ſigna præbuerint, tunc medici prudentis eſt, licet etiam hæc ſymptomata mediocriter remiſerint, corticem peruvianum una cum ſpiritu vitrioli & hauſtibus ſalinis ſubminiſtrare, vel etiam corticem, ſi ſymptomata ex ejus uſu ingraveſcere videantur, pro tempore ſaltem abjicere, reſumto dein ejus uſu, quam primum ſymptomatum levamen iterum redierit, addita præſertim camphora, & juncto veſicatoriorum uſu, ſi inflammatoriæ ſtaſes ſimul adeſſent. (KESSLER *l. c. p.* 226.) Ubi vero his incaſſum adhibitis putredo continuo increſcat, vires vitæ antea nimis actuoſæ nunc protinus deficiant, pulſus fortis antea in debilem ſubito mutetur, tunc ſymptomata iſta nihili pendenda, ſed in corticis tum remiſſionis tum exacerbationis tempore uſu pergendum. (MAKITTRICK *l. c.*) Optime vero corticis in ſubſtantia uſum adhibebimus, niſi forſan deglutiendi difficultas, ventriculi debilitas, extracti aut decocti majores vires ſpondeat; (SIM'S *l. c. p.* 137.) alias enim longe citius videbatur ſordibus pulvere, quam quidem extracto, liberata lingua, cum ſimplex cortex redactus in pulverem, majorem poſſi-

poſſideat roborandi vim, quam extractum; (v. DEN BOSCH *l. c. p.* 35.) dandus autem pulvis ad pondus drachmæ dimidiæ omni trihorio, immo omni bihorio, aut decoctum ejusdem quantum aſſumere volunt; neque tamen ſemper minutis hiſce doſibus fidendum eſt, cum interdum nonniſi maxima corticis quantitas ægrum ſervet; qui enim drachmis pluribus per diem propinatis non juvabantur, uncia dimidia omni ſemihorio exhibita interdum ſervati ſunt. (RUSCH. ARCHIBALD *Med. Obſerv. and. Inquir. Vol. V. p.* 32. QUARIN *l. c. p.* 51.) Neque interim cortici ſoli res relinquenda eſt, ſed & ſimul alia efficacia remedia pro morbi ratione, complicatione & indicationum varietate in uſum vocanda ſunt; ſi e. gr. faciei rubor, pulſus magnitudo, oculi feroces, deliria, vires naturæ nimis adhuc actuoſas eſſe indicent, largus acidorum, aquæ frigidæ uſus, ſinapiſmorum applicatio, ſimul convenient; ſi vero ſopor, deliria taciturna, pulſus debilis, parvus, inæqualis. oculi caliginoſi, appareant, remedia excitantia penetrantia, camphora, ſerpentaria, & ſi ſpaſmi urgerent, caſtoreum, ſpiritus cornu cervi, moſchus, vinum, in uſum vocanda. (QUARIN *l. c. p.* 51.)

Contingit vero, quod, antequam Medicus vocatur, putredo adeo celeriter increſcat, ut ſubito cortex adhiberi deberet, licet lingua adhuc ſpurca,

ſpurca, urina admodum colorata, nauſea, vomituritiones, ceteraque ſordium ſigna neceſſarium purgantium præmiſſum & adhuc continuatum uſum ſuaderent; at quamprimum corticis doſes ægri aſſumſerunt, ſtatim vehementer anguntur, reſpiratio difficilior redditur, calor, deliria increſcunt; in hoc caſu omnino adhuc purgandum, & a cortice tamdiu abſtinendum eſt, alias enim febris continens redditur, vel poſt diuturnos languores putridiſſima dyſenteria oborta ægros e medio tollit. (QUARIN *l. c. p.* 50. BROCKLESBY *l. c. p.* 125.) Si vero maxima turgentium ſordium copia ſublata ſit, putredinis vero incrementum & virium decrementum corticis uſum tamdiu differre non permittant, usque dum penitus expurgatæ ſint primæ viæ, ſummo tum effectu cortex cum evacuantibus miſcetur; ſi enim adhuc diutius corticis uſus protraheretur, facile contingere poſſet, ut puriſſimis nunc primis viis æger tamen morbo ſuccumberet. Si ergo juxta ſordium inteſtinalium ſigna pulſus parvus & celer, virium ſumma proſtratio, remiſſiones aut nullæ aut breviſſimæ obſerventur; cortici ſalia media addi poterunt, ut inde aliquoties quotidie alvum deponant ægri, ſic enim eodem tempore, quo putridum ex primis viis evacuatur, ſimul vires eriguntur, febris minuitur, putredo corrigitur, (QUARIN *l. c. p.* 51 CLARCK *l. c. p.* 145. HIRSCHEL *Med. Ne*

benſt

benſt. p. 68.); ipſe cortex purgantibus mixtus præcavet, ne iſta ſenſilem inteſtinorum tunicam nimis irritent, ſed eo promptius & tutius operationem ſuam abſolvere juvat. (GESSNER *Beobacht. T. IV. p.* 186.) Neque metuendum eſt, corticis vim hac miſcela forſan imminui, uti in intermittentibus contingere ſoleat; in his enim febribus magis antiſeptica & roborans ipſius quam ſpecifica antifebrilis iſta vis agit. Hinc ſi etiam in morbi initio ſufficienter purgantia adhibita eſſe videantur, tamen, niſi alvus admodum libera ſit, ſemper tale connubium proficuum erit, ſemper enim in ipſo morbi decurſu putridum ex humoribus ſecernitur, & ad inteſtina fertur, quod iterum reſorbtum nocere poſſet. Ipſe quidem cortex etiam in hiſce febribus ſponte alvum ducere; eoque illis noxis præcavere ſolet, quæ ex nimis parco purgantium uſu oriri potuiſſent; quin nimis vehementem interdum diarrhæam producit; ita ut opus ſit interpoſito leniorum opiatorum uſu eam cohibere, quod quidem non nimis cito fieri debet, præſertim ſi ſedes admodum fœtidæ & copioſæ excernantur, neque citius quam aut ob impeditas inde corticis vires, vel ægri nimium inde conſumtas vires, periculum extimeſcendum ſit. (SIM'S *l. c. p.* 141.)

Præcipue vero corticis opem expoſcunt febresślioſæ malignæ, eæ nimirum, in quibus

cum

cum ipſarum cauſis ſimul cauſa malignitatis ſeſe conjunxit, & quæ oriuntur, ſi febris maligna hominem corripit, eodem tempore, quo ſordium bilioſarum copia in primis viis contenta eſt; qualem cum malignitate combinationem in febribus iſtis bilioſis videmus, quas ſub febris flavæ putridæ, morbi de Siam, vel malignæ biloſæ Americæ MAKITTRICK (*l.c.*) MOULTRIE (*Diſſ. in coll. Bald. T. I. p.* 163.) HILLARY (*l.c. p.* 143.) LIND (*l.c. p.* 225.) deſcripſerunt, & quæ in regionibus Americæ ſeptentrionalibus menſibus æſtivis plerumque ſæviunt, quo tempore ſuffocantes fere ſolis ardores accidunt, dolore fixo & acutiſſimo capitis, laſſitudine & debilitate ſubitanea ſine cauſa manifeſta, algore & horrore, ſudoribus gelidis ægros invadunt, quæ ſymptomata ſtatim excipit febris ardens, anxietas & oppreſſio ſumma, ingens præcordiorum & lumborum dolor, ſummus circa vitalia viſcera æſtus, reſpiratio anhela, nauſea vomitusque perpetuus, diarrhæa, ſitis inexplebilis, jactationes & pervigilia; quod primum morbi ſtadium poſt duos aut tres dies ſequitur effuſio flava univerſalis, gelidi ſudores, & ſomnolentia cum pulſu celeri & parvo; poſt unum iterum alterumve diem hæmorrhagiæ profuſæ, ab ore, naſo, & ſæpe pectoris, colli, faciei cute erumpunt, æger magnam copiam cruoris, atri diſſoluti gangrænoſi, & ſuperne & inferne ejicit, urina nigra, fœtida, pulſus vacillans

lans debilis trepidansque fit, ſingultus moleſtus, convulſiones, deliria, lethargia, petechiæ, frigiditas extremorum tandem accedunt, & miſeros e medio tollunt. Summe difficilis harum febrium curatio eſt, ob eam ipſam colluviei biliosæ putridæ cum malignitate complicationem. Calor vehemens, anxietas moleſtiſſima, vultus rubor, & dolores varii, phlebotomiam largam in morbi initio inſtituendam poſtulare videntur, ſed reclamat latens putrida fomes, reclamant debilitas, & pulſus oppreſſus. Emetica & cathartica juberent ſordium putridarum copia, ſed vomitus perpetuus, præcordiorum dolor ad attactum auctus, cadaverum inciſio, ventriculum & inteſtina inflammata monſtrant, emetica & purgantia fortiora inflammationem magis irritant, virium proſtrationem augent, hypercatharſes & alvi dejectiones atras creant; cetera remedia, dum continua nauſea & vomitus vexant, applicari vix poſſunt. Succurrendum itaque eſt ventriculo quam maxime laboranti, vomitus infuſo chamomillæ, menthæ, acidis mineralibus & vegetabilibus, aqua frigida dilutis, hauſtu ſalino in ipſo effervescentiæ actu deglutito, cataplasmatibus, quæ aromata & ipſa narcotica recipiunt, regioni ventriculi admotis, clysmatibus diluentibus, nitratis, emollientibus, balneis tepidis, cucurbitis, epiſpaſticis regioni ventriculi & hepatis applicatis, ſiſtendus; vomitu tandem pacato le-

 nia

nia cathartica ex manna, tartaro ſolubili, ſale Glauberi, decocto tamarindorum, ſimilibusve gratiſſime parata propinanda, & eousque repetenda ſunt, quo alvus diarrhoea leni ſolvatur; ſi vero ventriculus eccoprotica talia pertinaciter reſpuit, hauſtus ſalinus adhuc effervescens reiterandus, vel tartari emetici aut ipecacuanhæ parvæ doſes per vices adhibendæ, quæ ſæpe, dum ventriculus alia quævis purgantia abhorruerat, alvum feliciter ſollicitarunt, ex eoque vomitum ſedarunt. Quodſi die tertia quartave a dictis bene ſubducta ſit alvus, binæ indicationes medico ut plurimum ſe oſtendunt; nempe quod inflammatio hepatis & forſitan venticuli attenuantia, refrigerantia depoſcant; dum interim viribus vitæ conſulendum, ſtadioque putrido poſtea ſecuturo pariter proſpiciendum; clysmatibus itaque ulterius continuatis, infuſo tamarindorum, cremore tartari & ſimilibus diarrhoea lenis ſuſtinenda; nitro, ſero acetoſo, vino rubro aqua diluto & cum ſucco limonum acidulato, fructubus acidis, horæis, ſitis allevanda, calor febrilis extenuandus, diatheſis inflammatoria coercenda, putrida futura præcavenda, vel jam nata reprimenda; vel ſi vires & pulſus fatiſcant, eardiaca diaphoretica, camphora, ſerpentaria virginiana, crocus, ſpiritus Mindereri, eatenus antiphlogiſticis, quatenus res ægri poſtulaverint, conſociandа; non negligendo interim auræ liberæ puræ fri-

frigidiuſculæ uſum. Quamprimum vero ſymptomatum impetus deſævierit, exhibeatur cortex peruvianus; ſin autem plenam intermiſſionem ante ejus uſum exſpectemus, miſere falleremur; non metuendum enim eſt, quod delirii forſan incrementum, febris inveteratio, obſtructionum chronicarum formatio a præmaturo hoc uſu corticis oriantur, cum in hiſce febribus craſis ſanguinis nunc magis ſoluta obſtructionibus minime faveat. Pergat itaque æger in liberali corticis uſu, donec exacerbatio iterum ſe oſtenderit; dein hoc ad remiſſionem proximam omiſſo, antiſepticorum aliorum in uſu perſiſtat; combinentur vero etiam alia indicata remedia cum cortice, prouti ſymptomata appareant. Si e. g. calor febrilis ante remiſſionem fuerit ſatis inſignis, ſi reſpiratio difficilis, pulſus plenus, altus, & anxietas magna, ſomnolentia, deliria tunc ſimul invaluerint, tunc tutius erit, licet hæc ſymptomata mediocriter remiſerint, corticem peruvianum una cum ſpiritu vitrioli & hauſtibus ſalinis, parciore ſimul manu, ſubminiſtrare. Si ſymptomata viſcera abdominalia, hepar & ventriculum, adhuc laborare oſtendant, diarhoea levior ſubminiſtratis eccoproticis lenioribus, vel clysmatibus, proritari debet, uſu antiſepticorum non intermiſſo, & probe cavendo, ne purgatione nimia vires jam elanguentes ex toto proſternantur. Quodſi autem putredo veloci pede increſceret, ſymptomata

enerrata congeſtionum, inflammationis, impuritatum, nihili pendenda, & antiſeptica cum cortice in remiſſione non ſolum propinanda, ſed etiam in horum uſu per proximam febris exacerbationem perſiſtendum, cum ſalus ægri ab hac medendi ratione toto cœlo nonnunquam pendeat. Si autem in hoc ſtadio putrido circa tertium quartumve diem univerſalis iſta flavedo & diræ per varias vias hæmorrhagiæ ſe prodant, de ſalute tamen nondum prorſus deſperandum, ſed dicta antiſeptica ſedulo & copioſe continuanda, atque cum ipſis julepus e camphora acetoſus, alumen rupeum, vinum rubrum auſterum, ea quantitate & forma, qua melius ferat ventriculus, combinanda, & in horum uſu inſiſtendum, donec ſenſim ſenſimque ſymptomata febris periculoſiſſima ſiluerint. (MAKITTRICK *l. c.*) Præſertim quoque, ſi in hoc morbi ſtadio ſigna ulla gangrænam adeſſe indicant, ſola ſalus ex corticis copioſo uſu exſpectari poterit. (MOULTRIE *l. c.*) Febre tandem diminuta, cum æger admodum languidus & debilis ſit, corticis peruviani cum cardiacis mixti ulteriori uſu, nutrimentis vino & aliis cardiacis præparatis, vires reficiendæ ſunt, usque dum febris, dolores, effuſio flava evaneſcant, & omnia ad ſtatum naturalem reducantur.

Con-

Contingit vero, ut tum in hiſce tum in illis febribus bilioſis malignis ægri corticem in ſubſtantia deglutire non poſſint, vel ventriculus nunc tenerrimus minima irritatione ſubvertendus, pulverem continuo rejiciat; in hoc caſu decoctum corticis vel infuſum cum pauculo cinnamomi dare conveniet; (MAKITTRICK, MOULTRIE, SIM'S, *l. l. c. c.*) vel corticis decoctum cum aliis antiſepticis & pauxillo fortaſſe opii, clysmatis inſtar adminiſtrandum; interne vero ejus loco alia antiſeptica, acida, radix ſerpentariæ, crocus, ſpiritus Mindereri, elixir vitrioli, vinum, ſubſtituenda. (HILLARY, MAKITTRICK, BRUCE, LIND, *l. l. c. c.*) Similiter ſi cortex ab eandem nimiam ventriculi & inteſtinorum ſenſibilitatem nimis vehementem diarrhoeam produceret, utiliter vel cum opio jungitur, vel ejus infuſum, vel ſimarouba, ſubſtituuntur, aut parvæ ipecacuanhæ evacuantis leniter & ſimul adſtringentis doſes cum opio junctæ, aut leniora diaphoretica interponuntur. (BROCKLESBY *l. c. p.* 126. CLARCK *l. c. p.* 145. MONRO *l. c.* BUCHHOLZ *l. c. p.* 38. HIRSCHEL *l. c. p.* 16.)

Signum vero ſalubris corticis effectus in hiſce febribus certiſſimum eſt, ſi inter corticis uſum lingua indies purior reddatur, oculi nitorem ſuum recuperent, petechiarum obſcurus color in

rubrum mutetur, pulſus celeritas decreſcat, mollities in duritiem tranſeat, cum hæc omnia majorem rurſus diſſolutis antea humoribus denſitatem reſtitutam eſſe indicent. Contingit vero, quod verſus finem morbi diatheſis iſta putrida in veram inflammatoriam mutetur, paroxyſmi qui fere evanuerant fortiores iterum & cum valido interdum horrore redeant, cum pulſu pleno, duro, calore majore; id vero terrere nos non debet, ejusdem enim reſtitutæ iterum per remedia antiſeptica condenſantia roborantia humorum denſitatis & ſolidorum roboris ſignum eſt, & continuato corticis cum acidis forſan juncti uſu febris mox feliciter ad finem perducetur. (SIM's *l. c. p.* 141.) Probe vero felicior hæc morbi mutatio diſtinguenda eſt ab iſta quæ itidem verſus finem morbi malo omine contingit, ubi nimirum materia putrida acerrima ex maſſa humorum critice ſecreta, ad inteſtina iterum defertur, eadem & reliqua abdominis viſcera inflammat, ita ut reſpiratio difficillima, genarum rubor, deliriorum incrementum nunc iterum appareant, abdomen infletur, pulſus mollis in parvum & durum mutetur; in hoc caſu cortex peruvianus vix quicquam levaminis adfert, immo ſymptomata ex ejus uſu potius augeri videntur, & æger plerumque moritur, niſi ex acidis, nervinis, ſeri lactis cum ſpiritu vitrioli parati, moſchi, uſu ſalus adhuc exſpectari poſſit. (QUARIN *l. c. p.* 59.)

p. 59.) Generatim, eo certior & felicior ex corticis uſu eventus exſpectari poteſt, ſi illibatis hepatis viribus putredini quaſi exquiſitæ occurrendum ſolummodo eſt; eo incertior & minus ſalutaris, quo hepatis læſi ſymptomata plus aut minus invaleſcunt; quo gravioris enim inflammationis viſcerum ſigna adſunt, eo magis irrita etiam ſunt omnia artis molimina. (MAKITTRICK *l. c.*)

Non minore cum fructu cortex etiam febribus gaſtricis verminoſis adhiberi interdum poteſt. Licet enim hæ febres aliquando ſine putredine appareant, uti bilioſæ ſimplices, non raro tamen colluvies iſta verminoſa accedente calore febrile ab indole ſua cruda depravatur, & in putredinem proclivis fit, quæ deinde facile, præſertim ſi epidemicum miaſma ſimul adſit, putridam febrim incendit; atque tunc ſolis evacuantibus ſpecificis non cedunt, ſed talia quoque requirunt remedia, quæ putredinem in inteſtinis natam, & ad ſanguinem delatam, atque exinde ortam putridam febrim tollant. Qualem febrem putridam epidemicam verminoſam deſcripſit cl. VAN DEN BOSCH, (*l. c.*) cum horrore & frigore ingredientem, intolerabiles dein capitis, lumborum & artuum dolores, præcordiorum angores, vigilias, ſenſuum hebetudinem, deliria, comata, dejectiones atras putridas, vermium putridorum cadave-

daveribus mixtas, inducentem, apparente lingua arida, fuſca, nigra, urina limoſa, jumentacea, ſudoribus frigidis, pulſu parvo debili irregulari; ex quibus cum clara evaderet morbi verminoſa natura, in vermes & putridum magma potiſſima tendebat indicatio, ut nimirum, quantum vires & ſtatus morbi permitterent, alvo proſpiceretur, emeticis, purgantibus turgens materia evacuaretur, potu diluente acido orgaſmus ſanguinis mitigaretur, clyſmatibus ex herbis amaris, cortice peruviano & ſimilibus paratis putredo inteſtinalis corrigeretur; quamprimum vero linguæ nigredo & febris exacerbatio augerentur, cerebri perturbati, & putredinis humoribus admixtæ ſigna apparebant, neceſſe erat, ad nobiliſſima antiſeptica confugere, ſumma ſimul anthelmintica virtute gaudentia, acida nimirum mineralia & corticem peruvianum; per totum ideo febris decurſum, nec anxie reſpiciendo ad febris ſive exacerbationem ſive remiſſionem, cortex larga manu adhibebatur, & ex eodem confecta clyſmata ſimul injiciebantur, & ſic plurimi ſervabantur; cum e contra, quibus vel nulla habita lumbricorum ratione purgantibus omiſſis, vel ſolis diluentibus ac reſolvenribus antifebrilibus neglecto cortice cura tentabatur, plures moriebantur. Feliciter etiam talibus in febribus, præſertim ſi ſpaſtica ſymptomata urgeant, valeriana cortici additur; (QUARIN *p.* 55.) neque dubitaremus, præſertim

in

in febris initio, cortici mercurium dulcem adjicere, cum talem combinationem ſæpiſſime in febribus verminoſis putridis utilem invenerit cl. TODE, (*Bibl. I. B.* 3. *St. p.* 161.) atque experimenta BENVENUTI innocentiam mercurii in hiſce febribus adhibiti extra omne dubium poſuerint; hic enim in febre epidemica verminoſa ægris, quorum curationi leniora anthelmintica non ſufficiebant, corticis drachmam unam cum mercurii ſcrupulo uno mixtam partitis vicibus ita propinavit, ut hujus miſcelæ quarta quaque hora ſcrupulum unum per diei ſpatium deglutiendum exhiberet, repetita ut plurimum eadem doſi ad tres continuos dies, quibus transactis febris plerumque ceſſavit; quodſi vero febris acuties & continuitas ita celeriter properabat, ut de ægri vita metuendum eſſet, corticis drachmas tres & mercurii drachmam unam unica doſi exhibuit, quo lethalis novæ febris ingreſſus præcaveretur, atque iterata per dies aliquot exigua hujus miſcelæ doſi, febris omnino profligaretur, & recidiva præcaveretur, qua methodo plus quam biſcentum epidemica iſta conſtitutione ægrotantes ſe reſtituiſſe gloriatur; quem eundem eventum etiam a cl. VALDAMBRINI, GHISI, confirmatum legimus. (JOS. BENVENUTI *Diſſ. epiſt. ad cl.* BECCARIUM, *Lucæ.* 1714.) Non nimis itaque a diſſolvente mercurii vi in hiſce febribus putridis metuendum eſt; præſertim cum etiam recen-

 tiſſi-

tiſſimæ obſervationes doceant, poſt ipſam ſalivationem mercurialem ſanguinem minime diſſolutum ſed inflammatorium ſæpius eductum fuiſſe, & in ipſis variolis putridis mercurium ob vim ſuam irritantem excitantem egregiam quandoque opem præſtitiſſe. (LETTSOM *allgem. Diſpenſ. p.* 172.)

Non abſimilem curationem expoſcunt, neque minus ex corticis uſu adjumentum accipiunt febres iſtæ gaſtricæ, quæ ex pituita putrida primarum viarum oriuntur, quæ interdum epidemice graſſantur, ex conſtitutione aeris frigida, humida, prava diæta, alimentorum inopia, ſordido vitæ genere originem ducunt, a ceteris febribus biliofis in eo tantum diverſæ, quod lingua glutinoſa alba ſubſtantia quaſi lardo obducta ſit, nonnunquam etiam os & fauces hac ſorditie mucoſa obducantur, ſanguis vena eductus glutinoſa cruſta tectus, urina tenuis limpida, febris lenta cum pulſu debile intermittente appareant, per evacuationes quaſcunque inſignis pituitæ copia excernatur, qua etiam inteſtina cadaverum ſectione inſtituta tota obducta videantur; quarum quidem febrium curatio eo iterum redit, ut colluvies iſta pituitoſa mature e corpore expellatur. Cum vero iſta pituita non raro cito & tantam in corruptionem tranſeat, ut ſimilem ſanguinis corruptionem & veram febrim putridam, cum inflam-

flammationibus viſcerum gangræneſcentibus, dyſenteriis, miliaribus, petechiis junctam accerſat, hinc ſimilis methodus antiſeptica requiritur, atque præſertim ad corticem peruvianum confugiendum, quem tantæ virtutis in hiſce febribus comperit cl. SARCONE; (*l. c. T. II. p.* 92. *T. III. p.* 182.) niſi enim iſte adhiberetur, febris ex remittente in continuam abibat, & mox periculoſiſſima malignitatis & putredinis ſymptomata apparebant, licet interim ſemper ad colluviei iſtius expurgationem reſpiciendum fuerit; quamdiu enim viſcera abdominis admodum impura, ventriculum admodum irritatum vomitus vel dolor continuo premebat, æſtus vehemens aderat, febris continentis erat indolis, ſtaſes inflammatoriæ in hepate, capite, pulmonibus apparebant, noxios ſemper cortex exſerebat effectus; ſi vero evacuationes juſtæ prægreſſæ fuerint, plethora, ſtaſes inflammatoriæ, congeſtiones, per venæſectiones ſublatæ, ſordes inteſtinales per emetica & purgantia ſufficienter eductæ fuerint, febris tamen typo ſuo remittente adhuc perſiſtebat, & proximum in continentem tranſitum minabatur, tunc cortex cum ſalibus mixtus & juxta clysmatum uſum copioſe adhibitus, certiſſimum præſtabat auxilium; cujus unicum exemplum adducere liceat, ægri nimirum octogenarii ſubito epidemica hac febre, horrore, anxietatibus, dolore pungente, æſtu ardente correpti, mox, cum pulſus

ſus fortis & plenus id indicarent, veneſectio inſtituebatur, & dein, cum lingua caſeoſo muco obtecta, urina cruda limpida apparerent, emetico copioſæ ſordes ſurſum & deorſum evacuabantur, idque ſequente mane eodem cum effectu repetebatur; cum vero veſperi nova iterum accederet exacerbatio, cum vehemente æſtu, deliriis, tendinum ſubſultu, cortex nunc tum in ſubſtantia tum in extracto propinabatur, eo effectu, ut ſequens exacerbatio citius quidem accederet, immo vehementior eſſet; nihilominus magnæ corticis doſes continuabantur, ita ut intra 48 horas uncia una extracti & totidem ſubſtantiæ æger aſſumeret, exacerbationum ſic ſenſim minuebatur vehementia, alvus ſponte fluida reddebatur, calidus univerſo corpore erumpebat ſudor, deliria ceſſabant, urina ſedimentum ad fundum præcipitabat, lingua purior apparebat, vires redibant, & æger tandem perfectæ ſanitati reſtituebatur; ex qua, ceteriſque obſervationibus etiam a cl. RUBERTI, CINQUE, MOSCA, PISCIOTTANO, COTUGNO, COMINALE, in eadem epidemia inſtitutis, aperte patet, corticem, utut immature, vel nimis ſero, vel nimis parce adhibitus manifeſte noceret, recte tamen uſurpatum egregie etiam in hoc febrium putridarum gaſtricarum genere convenire, neque ullo modo criticas excretiones inde impediri, ſed potius vires vitæ languentes excitari, inordinatos mode-

rari

rari, coctionem promoveri, putredinem arceri, metaſtaſes præcaveri, coctamque materiam per congruas vias educi; modo per convenientia diluentia, acida, aperientia, ſimul adhibita iſtæ viæ apertæ ſerventur; quippe ſub ejus uſu per urinæ ſedimentum farinaceum, lacteum, lateritium, ſudores, vomitus, diarrhoeas, exanthemata, furunculos, ulcera, manifeſtæ ſemper contigerint excretiones. Quam neceſſe vero ſit etiam in his febribus non nimis cito a corticis uſu deſiſtere, exemplum probat ægri, eadem febre correpti, cui poſt inſtitutas neceſſarias evacuationes poſt tertiam exacerbationem cortex propinabatur, eo effectu, ut quinto jam die febris ceſſarit, & ſexto die æger lecto ſurrexerit, cum vero ab hoc tempore corticis uſum negligeret, ſeptimo die nova febris exacerbatio rediit, & licet quidem iterum evacuantia, acida, cortex, veſicatoria adhiberentur, tamen continuo petechiæ, deliria, meteoriſmus accedebant, febris in continentem tranſibat, ægrum tertia hebdomada necantem. (*l. c. p.* 202.) Similem corticis virtutem in epidemia iſta febris mucoſæ expertus eſt cl. WAGLER, blande enim alvum nimis laxam conſtipabat, nervos & partes debilitatas reficiebat, putredinem & malam coctionem gangrænoſam compeſcebat, criſin ſalutarem accelerabat, ſub finem denique morbi vigorem primarum viarum reſtaurabat, atque promovendo tranſpirationem inſenſilem

ſilem reſidua oedemata aliasque morbi reliquias diſſipabat. (*Diſſ. de morbo mucoſo. Gœtting.* 1762.)

Præcipue vero corticis peruviani opem requirunt eæ febres putridæ, quæ non ex putrida materia materia in primis viis hærente, ſed ex fomite putrido ſubito in maſſam humorum delato oriuntur, & ſub variis febrium ſanguinearum putridarum, malignarum, contagioſarum, carcerum, nominibus deſcriptæ inveniuntur; interim etiam in hiſce febribus non ſine diſcrimine adhiberi oportet. Eſſentialem quippe harum febrium differentiam exſtare conſtat, ratione cauſarum præcedentium, pro quarum differentia ipſa etiam medela diverſa ſit. Alias nimirum eſſe ſporadicas, quæ absque ullo contagio a nimis calido forſan tractamine in febribus inflammatoriis adhibito oriuntur; alias, quæ ex contagio epidemico ortum habent; licet nunc quidem utriusque tum ſporadicæ tum epidemicæ contagioſæ febris natura in putrida humorum diſſolutione lateat, humoresque, licet ab initio non ſemper diſſoluti appareant, perſeverante tamen morbo ad putredinem vergant, phænomenaque omnia, quæ in ipſis ad vigorem evectis apparent, lingua nigra, atque arida, calor tactui mordax, excreta fœtida, virium proſtratio, hæmorrhagiæ & excretiones aliæ ſanguinolentæ, petechiæ, vibices, anima

anima fœtida, oculi, dentes, labia ſordibus obtecta, ſanguis floridus, laxiore & molliore contextu præditus, interdum fœtidus, ſanioſus, cuticula colorata tectus, ceteraque ſymptomata omnia a ſanguinis reliquorumque humorum putrida diſſolutione producantur, materia tamen humores diſſolvens varia eſt, & varie agit, diverſamque medelam expoſcit. Uti enim febres putridæ ſporadicæ absque contagio ortæ cum ſatis bono virium vigore, immo cum nimia virium vitalium & animalium actuoſitate junctæ, nec valde ſymptomatibus nervoſis ſtipatæ ſunt, atque præſertim ex acidorum tum vegetabilium tum mineralium, ſimiliumque refrigerantium antiſepticornm uſu auxilium expoſcant, ſic e contra febres contagioſæ putridæ, præcipue ſi cauſa malignitatis ſeſe ipſis junxerit, ſumma nervorum affectione, virium proſtratione, circulationis languore incidunt, & ab acidis ſolis adeo non levantur, ut hæc potius torporem augeant, efficaciſſima vero excitantia, irritantia, cardiaca, diaphoretica, quæ in prioribus citculationem exæſtuando humorum putridam reſolutionem auxiſſent, ſummo cum effectu adhibeantur. In his itaque poſterioribus febribus præcipuus locus eſt, ubi cortex ob vim ſuam cardiacam, roborantem, antiſepticam, adhiberi cum fructu poteſt; ſimul etiam patet, in quibusnam ipſarum ſtadiis maxime conveniat.

In primo enim ſtadio, in quo æger, licet alternantes horrores & æſtus, torporem & laſſitudinem, ſomni inquietudinem, capitis dolorem & gravitatem, ſenſuum hebetudinem ſentiat, negotiis tamen ſuis quodammodo adhuc fungi & extra lectum degere poſſit, putredinis humorum ſignis nullis adhuc apparentibus, in hoc ſtadio ſufficit, cognita contagioſa quæ corpus irrepſit cauſa, ægrum ex loco infecto, impuro, in locum puriorem tranſportare, plethoram, quæ ſub hoc ſtadio quandoque adeſt, moderata venæſectione minuere, evacuante dein leni, præſertim emetico, partem contagii cum ſaliva in ventriculum delapſi, cruditates ventriculi quæ mora ſua putredinem augere poſſent, expellere; quæ vero jam humoribus admixta eſt, materiam, leniori quodam diaphoretico diſſipare; hoc enim modo multis, qui contagium jam ſuſceperant, morbi ulterior progreſſus præſciſſus, atque ſanitas reſtituta fuit, præſertim ſi corticis peruviani tanquam prophylactici remedii uſum diligenter adhibuerunt, & tamdiu, quam infectionis periculum eſſet, continuarunt. (PRINGLE *l. c. p.* 362. LETTSOM *l. c. p.* 26.)

Sæpius vero, incaſſum adhibitis iſtis remediis, alterum morbi ſtadium incipit, atque febris, anxietates, capitis & præcordiorum dolores, ſitis increſcunt, pulſus frequentior incitatior fit, calor

a mor-

mordax & acer manum tangentis ferit, deliria, artuum tremor, animi abjectio accedunt, atque tunc fruſtra evacuantibus receptum contagium ex corpore expellere conaremur, quod jam intimius humoribus admiſtum eſt. Noceret nunc venæſectio, niſi forſan plethora & diatheſis inflammatoria vera adhuc adeſſet. (HASENÖHRL *Hiſt. febr. petech. p.* 21. 22.) Uutut enim orgaſmus ſanguinis putridi, attenuati ſanguinis ecchymoſes, ſpaſticæ congeſtiones, veram plethoram & inflammatoriam diatheſin interdum ſimulent, venæſectiones tamen, vires circulationis & totius nervoſi ſyſtematis debilitando putredinem potius augerent, nocerent eandem ob cauſam purgantia, & diarrhoeam ſymptomaticam producerent; nocerent diaphoretica calidiora quæcunque, & nimio ſtimulo nimioque calore inducto diſſolutionem humorem augerent, ſudores noxios exprimerent; potius leniſſimis, ſi obſtructa alvus id poſcat, clysmatibus alvus aperta ſervanda, lenioribus digeſtivis potius quam purgantibus, cremore tartari, tamarindis, mixtura ſalina Riverii, ſale ammoniaco, & ſimilibus ſordes ventriculi corrigendæ, potu acido, medicamentis refrigerantibus, & leniter diaphoreticis, nitri cum camphora, radice ſerpentariæ, ſpiritu mindereri miſcela, æſtus & orgaſmus minuendus, putredinis incrementum prævertendum. (PRINGLE *l. c. p.* 366.) Cortice vero peruviano hic eo minus

 ad-

adhuc locus eſt, quo major adhuc virium vitalium vigor obſervatur, quo fortior durior pulſus eſt, quo magis diatheſis inflammatoriæ ſigna adhuc adſunt, temperantium, antiphlogiſticorum acidorum uſu infringendæ. (MONRO *l. c. p.* 21.)

Ubi vero ad tertium ſtadium febris appropinquat, pulſus nunc ſubito in debilem parvum mutatur, animi abjectio, ſtupor, deliria augentur, petechiæ apparent, urina tenuis, cruda, aquoſa, aut livida, nigra, lingua ſicca, cruſta fuſca, nigra tecta, copioſæ hæmorrhagiæ per varias partes, diarrhoeæ ſymptomaticæ valde fœtidæ nigræ, ſenſuum externorum & internorum hebetudo, motus varii ſpaſtici convulſivi, animi ad minimum corporis motum deliquia, gangrænoſæ partium externarum corruptiones, nunc incipiunt, & celeri greſſu progredientem putridam humorum diſſolutionem oſtendunt, tunc efficaciſſima antiſeptica & præſertim cortex peruvianus in auxilium vocanda ſunt. Quamprimum igitur poſt tertium quartumve morbi diem dicta putredinis ſigna appareant, pulſus vero adhuc magnus, fortis, plenus, ſitis magna, oculorum rubor, deliria ferocia obſerventur, quæ virium vitalium vigorem adhuc valentem immo exſuperantem indicant, acidis quidem, præſertim mineralibus, camphora, clyſmatibus, ſinapiſmis adhuc con-

continuandum eſt, cavendo omnia, quæ orgaſmum putrido - inflammatorium augere poſſent; & ſi celeriter increſcens putredo corticem expoſceret, is cum larga acidorum copia combinandus eſt. Si vero pulſus parvus, debilis, inæqualis eſt, vires de hora in horam minuuntur; puſtulæ purpureæ & lividæ totum corpus deturpant, tremores, convulſiones accedunt, facies pallescit, oculi turbidi fiunt, & in orbita reconduntur, continuum delirium adeſt cum voce depreſſa, quæ omnia vires vitales ſuperſtites jam ſuccumbere indicant, omnia tunc in auxilium vocanda ſunt, quæ nervos roborant, vires vitales excitant, & in hiſce primus cortex peruvianus. Sunt quidem nonnulli, qui in camphoræ, moſchi, radicis ſerpentariæ, contrajervæ, ſpirituum acidorum mineralium vires confidunt; ipſe ego, dicit cl. HASENÖHRL (*l. c. p.* 38.) in principio talis conſtitutionis epidemicæ, ignarus adhuc ſtupendarum corticis peruviani virtutum, camphoram, ſerpentariam, frequentem in uſum vocavi, ſpiritus acidos potui ordinario largiter admiſcui, ut videlicet diſſolutioni humorum, quam proſtantibus petechiis vix non ubique adeſſe credideram, audacter obviam irem, & ſic multos minore gradu laborantes ſervavi quidem, ſed multos etiam ad plures migrantes acerbe dolui, usque dum plurimis præſertim Ill. DE HAEN obſervationibus convictus, corticis peruviani

uſum tentaſſem, quem larga manu cum tanto ſucceſſu adhibueram, ut multo pauciores ægros nunc numerarem. Ipſe etiam febre tali epidemica correptus & brevi petechiis & vibicibus plenus, divini hujus remedii per plures dies continuati ope a graviſſimo morbo convaluit. Mox itaque in hoc ſtadio dictis ſub conditionibus cortex largis doſibus exhibendus eſt; neque anxie remiſſiones vel urinæ ſedimentum exſpectanda ſunt; (HUXHAM *l. c.*) innumeri enim ſolum ob nimis meticuloſam hancce exſpectationem morti traditi ſunt; (LETTSOM *l. c. p.* 12.) neque ſi demum in morbi vigore vocaremur, apparentibus forſan primarum viarum ſordibus, harum evacuatione tempus terendum eſt, cum plerumque etiam cortex per ſe ſive acidis miſtus ſponte alvum purget; nec quovis vehementiore delirii gradu, cutis ſiccitate, linguæ ariditate, urinæ cruditate, reſpirationis difficultate, pulſus celeritate a corticis maturo uſu deterreamur, ea ipſa enim ſymptomata ejus continuum uſum indicant, & continuato ejus uſu adeo levidenſia redduntur, quam quodvis aliud levius ſymptoma febris intermittentis; (SIM'S *l. c.*) & minime metuendum eſt, ne ejus uſu ſalutaria natura conamina ſupprimantur, & criticæ excretiones impediantur, dum enim vires roborat, & cauſam morbi ſimul tollit, etiam illas promovet potius & ſuſtinet, ita ut juxta ejus uſum perſpiratio cutanea

tanea liberior reddatur, cutis ſicca antea humeſcat, urina laudabile ſedimentum ponat, reſpiratio facilior fiat, pulſus elevetur & tardior reddatur, lingua ſordidum tegmen deponat. Minime vero ſufficit, ægro parvam tantum decocti ejus tenuioris cochlearia paucis per diem vicibus propinaſſe, ſed binas minimum uncias in graviore putredinis gradu per nyctimeron deglutire ægrum oportet, ſive in ſubſtantia, ſive quantum æquivalet, decocti, infuſi, extracti. (*ibid. p.* 13.)

Si debilis nimis ventriculus ſit, decoctum concentratum anteponendum eſt ſubſtantiæ, ita ut e gr. tres corticis unciæ cum aquæ libris duabus ad remanentiam partis dimidiæ coquantur, & hæc portio intra 24 horas conſumatur; ſi vero admodum delicatus ventriculi ſenſus eſt, infuſum frigidum ad tres quatuorve libras eodem temporis ſpatio aſſumtum decocto præferendum. Parvæ autem doſes breviore temporis ſpatio aſſumtæ magis efficaces ſunt, quam majora præbia longioribus intervallis exhibita; præſtat tamen, ſi id per morbi periculum licet, corticis uſum per dimidium aut unum diem ſeponere, iterumque adhibere. (*p.* 81.) Non vero remiſſionis tempore tantum, ſed etiam per ipſam exacerbationem continuandus ejus uſus eſt; clariſſimi enim viri obſervarunt, dimidiam corticis copiam ſufficere, ſi non per intervalla ſed in ipſis exacerbationibus adhi-

beatus; (*p.* 80.) neque ejus uſus unquam ſeponendus eſt, usque dum manifeſtæ & perfectæ remiſſiones inductæ fuerint. (*ibid.*) Juxta corticem autem ea omnia ſimul adhibenda ſunt, quæ ejus virtutem magis intendere, & certiſſime ad exoptatum ſcopum determinare poſſunt, inprimis acida mineralia; licet enim in primis ſtadiis, ubi inteſtina ſaburra adhuc plena ſunt, acida vegetabilia magis conveniant, & mineralia nauſeam & anxietates facile augeant, in hoc tamen ſtadio, in quo humorum putredini totis viribus reſiſtendum eſt, mineralia præferenda, cum ſitim melius exſtinguant, calorem efficacius mitigent, humores diſſolutos magis condenſent. Si ergo pulſus adhuc plenus, calor ingens, ſitis magna, lingua ſicca, nigra, ſudores copioſi fœtidi, urina flammea, obſerventur, ſanguis tenuis nec facile ubi friget coeuns vehementer erumpat, acida mineralia juxta corticis uſum propinanda ſunt, (QUARIN *l. c. p.* 61.) & largiſſima quidem copia, ita ut ſecundum præcepta SCHROEDERI, COLLINI etiam ad uncias duas, quatuor, intra viginti quatuor horas vitriolicum acidum potu admiſtum aſſumatur; (STUHLMANN *Examen remed. in febr. putr. adhibend. Gœtting.* 1773. *p.* 29.) vitando interim omnia calida, abſtinendo a veſicatoriis, quæ in hoc morbi vigore haud conveniunt, dum humorum reſolutionem potius augent, circulationem quæ nunc nonnihil in-

infringenda eſt, magis exæſtuando. (TISSOT *l. c. p.* 50.)

Si vero, quod in febribus putridis cum malignitate conjunctis, febribus carcerum, noſodochiorum, contingit, in hoc ſtadio vires valde exhauſtæ ſint, circulatio langueſcat, pulſus debilis intermittens, inæqualis reddatur, facies pallida, oculi retracti, tremores, ſubſultus tendinum, continuum delirium tranquillum appareant, tota compages torpeat, tunc acida refrigerantia minus convenirent, ſed potius vires efficaciſſimis ſtimulantibus & nobiliſſimis cardiacis excitandæ ſunt; veſicatoria itaque applicanda ſunt, interne vero cum ipſo cortice diaphoretica, alexipharmaca, jungenda, (PRINGLE *l. c. p* 309.) MONRO *l. c.* MERTENS *obſerv. med. p.* 24. AEPLI *v. d. bœsartigen Fieber. p.* 145.) ita quidem ut, ſi pulſus debilis, ſed æqualis & mollis eſt, camphora & ſerpentaria, ubi vero pulſus tremulus, inæqualis intermittens & mollis, ſpiritus cornu cervi, mixtura ſimplex, eſſentia caſtorei, ſi vero pulſus durus & ſymptomata ſpaſtica adſint, moſchus minime ſtimulando nervis amiciſſimus, magis conveniant. (QUARIN *l. c. p.* 55.) Optime etiam cum cortice elixir vitrioli combinatur, ex tinctura aromatica & ſpiritu vitrioli compoſitum, tincturæ enim vim calefacientem mitigat ſpiritus acidus, ut absque noxæ

metu adhiberi poſſit. (HUXHAM *l. c.*) Similiter vinum ſummo cum effectu in hoc caſu ægris propinatur, tanquam cardiacorum princeps, & optimum ſimul antiſepticum, præſertim ubi pulſus parvus, mollis, facies pallida ſummam debilitatem indicant; (PRINGLE *l. c. p.* 372.) præcipue etiam aer non ſolum purus & renovatus, ſed & frigidiusculus ad ſanationem confert, neque absque ejus auxilio ex corticis aliorumve optimorum medicamentorum uſu boni quicquam ſperari poteſt; e contra quo purior & minus calidus aer, eo ceteris paribus facilius ſanantur ægri, ita ut etiam ſi ægri peſſimo ſub morbi ſtatu e lecto in auram frigidam horti, agri propinqui, translati fuerint, multo citius & ad miraculum usque roborati iterum rediiſſe viſi fuerint. (LETTSOM *p.* 89.)

Quodſi ſub juſto dictorum remediorum uſu putredinis ſigna decreſcant, excretiones criticæ appareant, hæ quidem continuato medicamentorum uſu dirigendæ, promovendæ, vel ſi nimiæ ſint, moderandæ ſunt; ſi c. gr. ſudores nimii fiant & æger inde magis debititetur, corticis peruviani & acidorum mineralium uſu continuato compeſcendi ſunt; ſi diarrhæa critica, vomitus nimii ſubito contingant, ea ita moderanda, ut ex altera parte virium ruina, ex altera acrium retentio impediatur; ſi vero adeo nimis crebræ dejectiones

nes acciderent, cum pulſu parvo debili, ſumma debilitate, talia ſiſtentia eligenda ſunt, quæ putredini reſiſtunt, & nimiam partium laxitatem tollunt, bolus armena, cortex ſimaroubæ, ſuccus catechu, & ſi hæc non ſufficiunt, opiata; (QUARIN *p.* 63. LIND *p.* 231. 232.) & ſi exinde abdomen infletur, anxietates oriantur, febris increſcat, alvus clysmatibus eluenda, & cortice cum acidis mineralibus pergendum; ſi autem cum alvo liquidiore abdomen tumeat & infletur, quod maximam fomitis putridi copiam & ſummam viſcerum labem indicat, fomenta aromatica cum vino, fotus ex aqua frigida, abdomini imponenda, clysmata ex decocto corticis cum floribus chamomillæ parata applicanda ſunt. Si parottides, abſceſſus varii naſcantur, iisque gangræna accedat, vel ſi ulcera ex veſicatoriis relicta gangræneſcerent, interne & externe cortex peruvianus ulterius adhibendus eſt. (QUARIN *l. c. p.* 54. MERTENS *l. c. p.* 40.)

Cum vero omnes, qui ex febribus putridis convaleſcunt, diu debiles adhuc ſint, atque hinc ſemper metus ſit, ne in morbum relabantur, corticis peruviani minorum doſium uſum eo usque producere oportet, donec nullus recidivæ metus ſit, interim vero cibis eupeptis & vini moderati uſu vires refocillare. Sudores poſt morbum relictos, tumores pedum oedematoſos præter ar-

tuum frictiones, motum, optime cortex cum martialibus junctus tollit. Si vero obſtructiones viſcerum relinquerentur, reſolventia viſceralia ſimul adhibenda; appetitus languens cortice peruviano, amaricantibus, & ſi alvus adſtricta ſit, ſalibus mediis erigendus, cavendo a ſpirituoſis; (QUARIN *l. c. p.* 66.) purgantia vitanda ſunt, ne vires debilitando morbum recidivum faciant, (FRIBORG *Diſſ. cit. p.* 68. QUARIN *l. c. p.* 65.) niſi forſan ſordes adeſſent, in hoc enim caſu debilitas eorum uſum adeo non vetat, ut potius indicet. (TODE *med. Bibl. I. B.* 3. *St. p.* 166.)

Qui vero circa ægros putrida febre decumbentes verſantur, utantur acidis, diæta tenui & moderato vini uſu; multum etiam juvat, omni mane drachmam dimidiam aut unam corticis cum aqua vel vino, vel tincturæ corticis Huxhami portionem aſſumere. (LETTSOM *l. c. p.* 26.)

Probe a dictis febribus putridis diſtinguendæ ſunt febres veræ malignæ, quæ licet ſæpius cum aliis bilioſis putridis febribus complicentur, peculiare tamen febrium genus ſiſtunt, & ſimplices nonnunquam ex ſuis propriis cauſis oriundæ occurrunt. Eas vero febres vocamus malignas, quæ homines cujuscunque ſexus, ætatis, conſtitutionis, temperiei, ſubito & peſſime ita invadunt,

ut

ut eodem momento maximam virium proſtrationem, ſummamque ſyſtematis nervoſi debilitatem atque perturbationem inducant, omnes corpori inſitas vires ſine ulla ſive in ſolidis ſive in fluidis manifeſte apparente cauſa ad imum usque gradum opprimunt; ægri nimirum vel ſubito vel poſt leviores quosdam prodromos virium ſine ulla manifeſta cauſa proſtratione, ſumma animi abjectione & incuria, dolore capitis obtuſo, vertigine, ſenſuum hebetudine corripiuntur, accedente ſimul æſtu febrile cum perfrigeriis alternante, pulſu parvo imbecilli celeri, appetitus defectu, reſpiratione anxia, ſomnolentia, quæ univerſalis languoris ſymptomata intra tres quatuorve dies ita augentur, ut æger in continuum ſtuporem vel in continuum delirium mite incidat, vel pertinaciter vigilet cum ſumma rerum omnium incuria, & oblivione eorum quæ audit, vel vel ipſimet loquitur; exſtinctis fere omnibus ſenſibilitatis & irritabilitatis ſignis profundus tandem ſopor, convulſiones, tremores, animi ad leviſſimum corporis motum deliquia, petechiæ, ſudores & diarrhoeæ colliquativæ accedunt, quæ quinto, ſeptimo, nono, decimoquarto, vigeſimo die morte finiuntur.

Atque hæc quidem virium vitalium & animalium ſubita deſtructio non a ſolitis iſtis in ceteris febribus occurrentibus debilitatis cauſis, non a ple-

plethora, vel bile corrupta, vel humorum putre-
dine proficiſcitur, quarum quippe indicia ne
minima interdum adſunt, ſed a cauſa quadam
peculiari, quæ proxime in ſyſtema nervoſum agit,
& venenata quadam vi ſubito ſtuporem nervis
inducit, id quod ex cauſarum præcedentium, ex
ipſo morbi decurſu & ſymptomatibus aperte pa.
tet. Hinc eſt, quod aer calidus & ſimul humi-
dus, elaſticitate ſua, qua uti omnes corporis par-
tes undiquaque premit, & fluidorum motum
promovet, ſic etiam ſubtiliſſimam & ſumme ela-
ſticam illam nerveam materiam in activitate ſua
ſuſtinet, orbatus, & materia iſta aere longe lon-
ge ſubtiliore ætherea electrica ipſos forſan ſpi-
ritus nerveos ſuppeditante privatus, harum mali-
gnarum febrium præcipuus fomes ſit; ſive enim
ex hac ſive ex ſimili cauſa occaſionali aut ſpiri-
tuum copia minuatur, aut illorum actuoſitas ad
certum quendam gradum ſuffocetur, omnia iſta
ſymptomata facile evenient, mox enim quæ ſoli-
dis ineſt vis animalis ſenſus regens & proxime
cum ea communicans vis vitalis irritabilis, mi-
nuentnr, ſenſus & motus torpebunt, ne minima
hactenus in fluidis apparente mutatione, quæ
quidem nunc neceſſario citius vel lentius ſequi
oportet; ob minutam enim irritabilitatem tardior
humorum motus & eorum ſtagnatio producetur,
quæ, ſi cito ad ſummum gradum inducitur, ita ut
cordis & vaſorum actio penitus inde ſupprimatur,
pri-

primis diebus mortem ſubitam & inopinatam acceſſit, nulla in ipſo cadavere apparente humorum mutatione vel ſolidorum vitio, niſi quod ſanguinem in vaſis in unum cohærentem grumum concretum inveniamus; vel vero tardius humores oblentiorem motum & ſtagnationem, & vim ſolidorum fere exſtinctam, eam mutationem inducent, quam in omnibus humoribus animalibus extra circulationem poſitis ſequi videmus; prouti nimirum motus humorum progreſſivus minuetur, eadem ratione motus inteſtinus augebitur, & ſtadium coagulationis humorum nunc excipiet alterum illud ſtadium putredinis; quæ putredo excitato calore conſtituentes fluidorum partes diſſolvit, mutat, ſejungit, partes ſalinas & oleoſas evolvit, & univerſalem humorum diſſolutionem producit, diverſam quidem a diſſolutione iſta febrium putridarum, quippe ex defectu virium humores per vaſa propellentis oriatur, illa vero a fomite putrido humoribus admixto excitetur, licet interim effectus prorſus iidem ſint, fluxus colliquativi, hæmorrhagiæ, petechiæ, gangrænæ, motus ſpaſtici, convulſivi.

Qui hanc febris malignæ naturam expendit, facile veras indicationes ad curationem comprehendet, & videbit, quatenus cortex peruvianus etiam in hiſce febribus opem præſtare poſſit. Cum enim præcipuæ indicationes eo redeant, ut

ut vires vitæ conſerventur, roborentur, torpens irritabilitas & ſenſibilitas excitetur, humorum exinde oriunda ſtagnatio eamque excipiens putredo præcaveatur, jam vero ſtagnantes & putridi humores corrigantur, patet, præter aeris neceſſariam correctionem, renovationem, ſummum auxilium in corticis peruviani ſummi cardiaci & alexipharmaci uſu poſitum eſſe.

Neque eſt quod metuamus, ne humorum ſtagnatio & coagulatio inde forſan augeatur, hæc enim non inflammationis & aucti ſolidorum roboris, ſed torpentium virium effectus eſt, eamque igitur cortex vires excitando minuere potius debet & præcavere. Cum vero ipſe ille torpor corticis vim impediat; ſaltem ventriculi non minus quem ceterarum partium debilitatæ vires ſufficientes corticis doſes non ferant, conveniet, corticis decoctum cum camphora miſcere, quæ ſtimulando ſolida ſtagnantes humores in motum ducit, & eorum coagulationi reſiſtit; ſummum etiam, ſi pulſus debilis vix ſenſilis, vocis debilitas, caloris defectus, ſummus omnium virium languor nobilius cardiacum indicet, ex vini optimi uſu exſpectari poterit auxilium; neque negligenda eſt acerrimorum ſinapiſmorum & veſicatoriorum applicatio, quæ egregie vacillantes vires vitæ elevant, motum vaſorum augent, humorum lethalem ſtagnationem præpediunt, eorumque putredinem præcavent. (AEPLI *Abhandl. v. d.*

v. d. bœsartigen Fieber. Ejusd. Prüfung d. ſpaniſchen Fliegen im bœsartigen Fieber.) Interea urgentia ſymptomata ſive debilitatis nervoſæ, ſive putredinis humorum effectus congruis remediis lenienda ſunt, diarrhoeæ colliquativæ ex colliquatione humorum & inteſtinorum paralytica atonia oriundæ ejusdem corticis tum interne adhibiti tum in clysmatibus theriaca mixti applicati, tum ſinapismorum abdomini applicatorum uſu ſiſtendæ; ſpaſtici convulſivi motus, efficaciſſimorum nervinorum, moſchi, caſtorei, croci uſu leniendi; cum omnibus vero ſedula aeris renovatio, membrorum cum frigida aqua frequentes lavationes, & frictiones, ceteraque omnia jungenda, quæ ſolida roborare, eorum elaſticitatem augere, circulationem languentem excitare poſſunt. (Conf. AEPLI *l. c.*)

Sæpius vero febres malignæ non eo quo diximus modo ſimplices occurrunt, ſed aliis febrium generibus complicantur. Sic ſupra vidimus, cauſam malignitatis interdum cum cauſis febrium bilioſarum conjungi atque bilioſas malignas febres inde produci; in quibus licet in primo ſtadio clysmata, leniora evacuantia, acida ſumme neceſſaria ſint, mox tamen ad efficaciſſima roborantia, excitantia, antiſeptica confugiendum ſit: In aliis ſimul ſomitem putridum, ſive ex regimine perverſo, ſive ex putridis exhalationibus,

nibus, ſive ex occulta viſcerum putrida labe ortum, & ſic putredinem cum malignitate complicari, uti in febribus carcerum, noſodochiorum contingat, in quibus itidem cum antiſepticis efficaciſſima ſimul excitantia cardiaca combinanda ſint.

Poſtremum tandem febrium ordinem ſiſtunt febres iſtæ lentæ, inordinatæ, nec continentes neque regulariter intermittentes, ſymptomatibus multis nervoſis nec inter ſe neque cauſis manifeſtis reſpondentibus ſtipatæ, ideoque febres nervoſæ a neotericis nuncupata, a modo dictis febribus malignis diverſæ. Uti enim febris maligna a cauſa quadam externa contagioſa epidemica ſubito ſine ulla prægreſſa cauſa præparante ſive in ſolidis ſive in fluidis ſita oritur, & etiam ſaniſſimorum & robuſtiſſimorum vires exſtinguit, atque ſubitaneam virium animalium & vitalium exſolutionem producit, ſic febres nervoſæ in prædiſpoſitione nervoſi ſyſtematis maximam cauſæ materialis partem ſitam habent. Dantur nimirum conſtitutiones corporis, qualem in hypochondriacis & hyſtericis obſervamus, qua leviſſimis cauſis accedentibus phænomena producuntur, quæ alias graviorem cauſam ad ſui exiſtentiam ſupponunt. Duplicem vero hanc morboſam nervorum conditionem obſervamus, prior in peculiari & præter naturali irritabilitate & ſenſibilitate con-

conſiſtit, ob quam magna ſymptomata ex leviſſima cauſa, quæ in ſana conſtitutione illa haud producere valet; ſæpe producuntur; poſterior in ſingulari ſyſtematis nervoſi debilitate ſita eſt, ob quam natura ad cauſam quandam levem ſuperandam atque extricandam, impotens redditur; unde duo febrium nervoſarum genera oriuntur, unum nervoſarum acutarum, cum nimia nervorum ſenſilitate nimioque inde ſanguinis orgaſmo junctarum; alterum nervoſarum lentarum, debilitatem nervorum & imminutam virium naturæ actuoſitatem ſecum habentium; (SELLE *Rudimenta Pyretologiæ*. p. 266.) priorum exempla habemus in phrenitide vera, typho comatoſo, hydrophobia ſpontanea, febre nervoſa acuta puerperarum; in quibus nimirum præcedente ſtadio mitiore, animi inquietudine, anxietatibus, acuta febris invadit, intercurrentibus perfrigeriis, tenui ſudore non levante, pulſu parvo, imbecillo, nunc celeri nunc tardo, doloribus artuum & præcordiorum, lingua aſpera, ſicca, tremula, urina tenui, limpida, aurium ſonitu, auditus difficultate vel ſolito acie majore, oculis fixis, fulgentibus, rubentibus, vomitubus æruginoſis, vigilio pertinaci, & oblivione eorum, quæ audiunt vel ipſimet dicunt, vel delirio furioſo permanente, vel magna in ſomnum propenſione, ſed pavoribus interrupta, potulentorum averſatione, difficili ac convulſivoria deglutione, aliisve

ve ſymptomatibus nervoſis. Poſterioris generis eſt febris illa nervoſa lenta, a cl. WILLIS, MANNINGHAM, LANGRISH, GILCHRIST, HUXHAM, GLASS, HOME deſcripta. quæ nimirum lento invadit ingreſſu, levi nempe vagoque horrore, incerto quodam & errante calore intercurrente, oſcitatione frequenti, laſſitudine, præcordiorum oppreſſione, capitis gravedine, vertigine, pulſu frequente debili, accedente univerſale torpore, ita ut loqui aut moveri pigeant, ſopore nimio detineantur, aut vigiliis anxiis & perpetuis torqueantur, aut tacite delirent, cum tendinum ſubſultu, manuum tremore, lingua tremula, muco albido obducta, urina tenui limpida, ſudoribus inæqualibus, inconſtantibus, frigidiuſculis, glutinoſis, perpetuis ac frigidis ſuſpiriis, apparentibus tandem aut bono omine papulis miliaribus, aut malo omine aphthis nigris, petechiis lividis, alvo plumbea, nigra, colliquante, mortem circa vigeſimum primum aut tardius evenientem denunciantia. Facile patet harum febrium nervoſarum curationem pro modo data earundem diverſitate differre; nimiam ſenſibilitatem nervorum, nimiumque ſanguinis orgaſmum febrium nervoſarum acutarum, temperantia antiſpasmodica requirere; nervorum debilitatem in lentis roborantia & alexipharmaca virium actuoſitatem excitantia expoſcere. Nullus enim hic eſt locus evacuationibus alvinis, quæ enim quandoque

doque ſeſe offert primarum viarum colluvies, ad morbi effectum potius quam cauſam referenda eſt; nullus locus venæſectionibus, etiamſi enim tum ex ſymptomatibus, tum ex cadaverum ſectionibus de inflammatione cerebri conjecturam fecerint quidam, (HOME *l. c. p.* 12.) hæc tamen itidem pro effectu potius vel complicato quodam ſtatu habenda eſt, præſertim cum & iidem authores venæſectiones cautiſſime adhibendas eſſe doceant; caute adhibenda ſunt, præſertim in lentis, acida, cum nulla in hiſce febribus adſit putredo, ſaltem non ea ratione cum ipſis connexa, ut pro febris materiali cauſa haberi poſſit, atque vires magis debilitent. Potius itaque ad iſtam nervorum morboſam conditionem reſpiciendum, removendo ſimul leves iſtas cauſas occaſionales, quæ aut ſummæ iſti nervorum irritabilitati irritamentum præbere, aut minus actuoſas vires adhuc magis infringere poſſent; leniore itaque emetico, vel lenioribus ſalinis rhabarbarinis alvus ducenda, mitioribus diaphoreticis ſudores levantes promovendi, veſicatoriis vires excitandæ, ſpasmi ſedandi, lympha lenta reſolvenda; & ſi pulſus debilis, inæqualis, urina pallida, miliaria, ſudores frigidi, tendinum ſubſultus, animi deliquia, ſummam debilitatem & cardiacorum uſum indicent, etiam cortex peruvianus cum aliis cardiacis, vino, croco, radice ſerpentariæ combinatus, in larga copia exhi-

bendus eſt, qui ſenſim remiſſiones manifeſtiores reddit, vires roborat, putredini reſiſtit, coctiones & criſes promovet, pravas metaſtaſes prævertit; ejus itaque uſui usque ad morbi finem inſiſtendum, ſemper interim attendendo, per quas vias natura materiem morboſam ejicere conetur, & quibus remediis ſimul adhibitis in hoc opere ſuffulcienda ſit. (HUXHAM *l. c. T. II. p* 78. GILCHRIST *Edinb. Verſ. T. V. p.* 724. SIM'S *l. c. p.* 170.)

CAPUT II.

Uſus corticis peruviani in febribus cum inflammationibus junctis.

Cum in ſuperiore capite de recto corticis uſu in febribus continuis in genere dixerimus, & viderimus, quatenus cauſis iſtis, quæ ſuprema illa febrium genera producunt, mederi poſſit, ſequitur, ut ejus uſum etiam ad ſingulas febrium ſpecies applicemus.

Quod autem primo febres cum inflammationibus partialibus junctas attinet, ſupra vidimus, in febribus vere inflammatoriis raro corticem cum fructu adhiberi, ſed plerumque potius nocere, cum nullas vires poſſideat, quæ indicationibus

nibus in curatione harum febrium formandis reſpondeant, quæ nimirum in minuenda ſanguinis phlogiſtici copia, denſitate, in emollitione partium ſolidarum rigidarum tenſarum, in compeſcendo ſanguinis rapidiore motu, & vehementi verſus ſingularem quandam partem appulſu conſiſtunt; ſed potius ſenſibilitatem & irritabilitatem magis excitet, vires cordis & vaſorum jam nimis actuoſas magis incitet, ſanguinis hinc circulum, calorem & congeſtionem, ipſam ideoque phlogiſticam denſitatem magis augeat; in eo tantum caſu ipſi locum concedi, ubi aut ob laxitatem vaſorum inflammationis reſolutio retardatur, aut ſtatus ſanguinis inflammatorius in ſtatum ſolutionis & putredinis tranſiit, aut jam ab initio ſtatus inflammatorius cum putredine mixtus fuit, aut tandem poſt ſuperatum morbum virium debilitas adhuc ſupereſt. Idem vero, quod de genere notatum fuit, etiam de diverſis febrium inflammatoriarum ſpeciebus valet.

Et quod primo quidem Anginam attinet, ea ſæpiſſime indolem mere inflammatoriam habet, & ſola methodus antiphlogiſtica cum gargarismatibus reliquisque externis curationem plerumque abſolvit; interdum vero ab hac indole aberrat, & cum ſignis inflammationis localis ſimul ſaburra bilioſa in primis viis hærens manifeſte apparet, ubi vel optimis adhibitis antiphlogiſticis inflam-

 matio

matio non tollitur, niſi evacuantia primarum viarum ſimul adhibeantur.

Sæpius & epidemice quidem occurrit peſſima angina, cum putrida febre juncta, quam ſub anginæ putridæ gangrænoſæ nomine paſſim deſcriptam legimus, in qua quidem primo die nonniſi inflammatorius faucium rubor, ſumme floridus tamen & quaſi cremoſinus valde ſpendens, apparet, ſecundo vero vel tertio die partes albeſcunt, quarto aut quinto die liveſcunt ac putreſcunt, & ſanies putrida corrodens intolerabiliter fœtida ex ore & naribus promanat, comitantibus interim reliquis febrium putridarum ſymptomatibus, ſumma virium proſtratione, pectoris oppreſſione, pervigiliis, deliriis, pulſu parvo, tremulo, exanthematibus ſcarlatinis, purpuratis, accedente tandem quinto ſexto die, vel paulo rar. dius, aut lethali comate, aut mortifera ſuffocatione; atque in hac anginæ ſpecie minime conveniunt laudatiſſima in inflammatoria ſpecie remedia antiphlogiſtica; nocet venæſectio, niſi diatheſis phlogiſtica cum putrida ſimul concurrat, alias enim inquietudinem, anxietatem auget, reſpirationem difficiliorem reddit, tumorem auget potius, quam minuit & gangrænam promovet; nocent temperantia refrigerantia, & vires magis debilitant, ſudorem ſymptomaticum augent, diarrhoeam noxiam producunt; nocent laxantia, dum vires exhau-

hauriunt, ſicuti etiam ipſæ diarrhoeæ ſpontaneæ mortem accelerant; in putredine igitur compeſcenda curationis cardo conſiſtit, & efficaciſſima antiſeptica unice juvare poſſunt. (HUXHAM *T. III. p.* 92. VANDERMONDE *Diſſ. Ergo in ulcere tonſillarum gangrænoſo antiſeptica. in Halleri collect. diſſ. pract. T. I. p.* 568. FOTHERGILL *Account of the putrid ſore throat &c.*)

Secundum hanc anginæ ratione febris ipſam comitantis diverſitatem cuivis patebit, quatenus cortex in hoc morbo curationem vel abſolvere vel adjuvare poſſit. Nil valebit ad anginam, ſive mere inflammatoriam, ſive ſimul biliofam, ſed quæ humorum motum & copiam minuunt, atque a ſuperioribus derivant, phlogiſticam diatheſin ſanguinis attenuant, ſtaſin localem diſcutiunt, ſordes bilioſas corrigunt & educunt, venæſectiones igitur, pediluvia, clysmata, temperantia, alvum moventia, cataplasmata, fomenta, vapores, gargarizationes, injectiones reſolventes, ſinapismi, veſicatoria, in auxilium adhibenda ſunt. Multum quidem etiam in ipſis anginis inflammatoriis corticem laudat cl. HEUERMANN, quod nimirum reſolutionem promoveat, inflammationis in ſuppurationem tranſitum prævertat, atque hanc corticis efficaciam in pluribus feminis expertum ſeſe aſſerit, quæ tempore autumni & hyemis quovis vero menſe, præcipue

pore periodi menſtrui, modo leviſſimum perfrigerium acceſſerit, angina corripiebantur, quæ remediis ſolventibus internis & externis admodum tarde reſolvebatur, ſed in ſuppurationem tranſibat, corticis vero uſu brevi ſolvebatur; in alio ægro angina ſæpius vexato, quæ fere ſemper in ſuppurationem abire conſueverat, idem cortex morbum reſolutione ſanabat, ita ut etiam ſequentibus annis nullam recidivam pateretur; aliam tandem ægram, inde a pluribus annis tempore fluxus menſtrui angina vexatam, infuſum chinæ ita juvit, ut modo, quamprimum dolor colli apparebat, ad corticis infuſi uſum confugeret, ſtatim dolore liberata fuerit. (*l. c. p.* 146.) Veriſſima ſint hæ obſervationes, neque tamen aſſertis noſtris contradicunt; adeſt enim in talibus ægris, quales cortice ſanatos refert cl. vir, non tam diatheſis ſanguinis inflammatoria & rigiditas vaſorum, ſed potius laxitas vaſorum & glandularum mucum partium internarum oris ſecernentium, atque ob hanc laxitatem vaſa minora ſanguinem rubrum, quem naturaliter non habent, facile excipiunt, unde error loci & inflammatio, quæ omnino optime diſcutitur & prævertitur ope remediorum, quæ nimis relaxata vaſa roborant. Hinc etiam ſuperata quavis graviore angina ob majorem vaſorum harum partium laxitatem ſemper convenit, roborantium & præcipue corticis uſum per aliquod tempus adhibere, ad morbi reci-

recidivas præcavendas, licet ad ipſius inflammationis ſanationem conferre nil poſſit, niſi quatenus roborat, grataque tenſione ſtringit ſolida præter naturam laxata, redditoque vaſis tono ſimul humorum æſtuantium ad certa corporis loca jam determinatum affluxum revellit, humorum crudorum ſubactionem laudabilemque craſin reſtituit. Non ergo ut antiphlogiſticum in angina agit cortex, ſed ſuperata demum diatheſi phlogiſtica retardatam ob vaſorum atoniam plenariam reſolutionem adjuvat, atque futuras ex eadem cauſa recidivas præcavet. Alio vero ſcopo cortex in angina cum fructu adhibetur, nimirum ubi morbus acutiſſimus in gangrænam tranſiit, ita ut nullis ſignis reſolutionis aut metaſtaſis apparentibus, deglutitio & reſpiratio nunc ſubito facilior fiat, cum facie cadaveroſa, frigore extremorum, pulſu parvo inæquali, fœtore ingente oris, partium inflammatarum livido nigrove colore, in hoc enim caſu præter ſcarificationes partium adfectarum, gargariſmatum antiſepticorum uſum, præſertim clysmata ex cortice peruviano convenient, & ſi quid juvare poterit gangrænam tollent. (QUARIN *Meth. medend. inflammat. p.* 46.)

Præcipuus vero corticis peruviani uſus erit in anginis iſtis epidemicis putridis malignis, ſummo putredinis ſanguinis gradu & maxima nervorum

rum affectione ſtipatis. Mirabatur enim cl. WALL, cum in ægro quodam, angina putrida & ſimul petechiis laborante, propter petechias corticem adhibuerat, non has ſolum mox evanuiſſe, ſed etiam putrida colli interni ulcera brevi correcta fuiſſe, quem eundem effectum dein etiam in aliis ægris eodem morbo correptis obſervavit. (*Gentlem. Mag. A.* 1751. *p.* 497.) quam eandem vim etiam obſervationes clariſſimorum medicorum, præſertim anglorum, HUXHAM (*l. c.*) FOTHERGILL (*l. c.*) PERCIVAL (*Eſſays med. and exper. Vol. I. p.* 375.) GOOCH (*Caſes and pract. remarcks.*) PENROSE (*Diſſ. on the infl. gangr. and. putr. ſore throat, p.* 22.) abunde confirmant. Miratur quidem cl. BROOCKS (*Handbuch d. pract. Arzneigelahrtheit. V. I. p.* 415.) methodum citatorum anglorum adeo differre a methodo cl. BOUCHER, RAULIN, D'ARLUC, MARTEAU aliisque laudata, qui nimirum adverſus eundem morbum venæſectiones etiam repetitas, acida vegetabilia, emetica, purgantia ſuaſerint, cum priores quævis evacuantia damnent, atque antiſepticorum excitantium cardiacorum, alexipharmacorum uſum ſuadeant. Facile vero hæc controverſia tolli poterit, ſi modo ad diverſum harum putridarum anginarum genium attendamus. Sunt omnino anginæ putridæ, in quibus diatheſis phlogiſtica ſimul adeſt, in quibus venæſectio par-

parcior quidem ac in febre inflammatoria convenit; QUARIN, (*l. c. p. 61.*) in quibus etiam præſertim ſi cutis ſicca, lingua nigra ſicca, appareat, acida vegetabilia & mineralia cortici anteponenda ſunt. (FORDYCE *l. c. p.* 243.) Sunt anginæ putridæ, quarum fomes præcipue in ventriculo hæret, cum febre biliofa putrida junctæ, quales deſcripſerunt TISSOT (*Avis au peuple p.* 146.) HUXHAM (*l. c. p.* 112.) D'ARLUC, (*Recueil periodique. T. IV. p.* 62.) MARTEAU (*ibid. T. XI. p.* 145.) BRÜNING (*Conſtit. epid. Eſſend.*) in quibus non ſolum vomitoria in morbi initio exhibita, ſed etiam in progreſſu morbi lenia cathartica profuerunt, in quibus etiam, quamdiu abdomen valde tumidum atque conſtipatum erat, cortex nocebat. (HUXHAM *l. c.*) Sunt vero & aliæ putridæ epidemicæ contagioſæ, a ſubtili contagio nervos primo peculiari ratione irritante & debilitante, poſteaque ſanguinem & reliquos humores diſſolvente, pendentes, in quibus ſigna colluviei bilioſæ non deprehenduntur, purgantia nocent, antiſeptica, cardiaca, nervos roborantia, vires excitantia requiruntur. (FOTHERGILL *l. c.*) Quodſi itaque in morbi initio ſtatim vocamur, atque de primarum viarum cruditate conſtat, primo ſtatim die in uſum vocentur laxantia blanda, rhabarbarina, caſſiata, tamarindinata; eaque omni morbi tempore, ſi ſymptomata hæc juſſerint, repetantur; vel ſi nimis

mis fractæ jam corporis vires medicamentum tale ore ſumendum vetent, indicantibus nihilominus alvi ſolutionem circumſtantiis, enemata emolliantia injiciantur; ſimul vero larga acidorum, tam vegetabilium, quam mineralium potu, cauto nitri, ſalium mediorum temperantium, uſu inſigni humorum ad putredinem diſpoſitioni obviam eatur, eorumque ebulliens exæſtuatio reprimatur. (HUXHAM, BRÜNING *l. c.*) Si vero ſordium bilioſarum putridarum indicia nulla adſint, putredo celeriter increſcat, vires admodum proſtratæ ſint, ſtatim ea remedia adhibeantur, quæ viribus vitæ proſpiciunt, mediantibusque his humorum putredinem corrigunt, inter quæ princeps cortex peruvianus, qui adeo tuto huic morbo medetur, ut ex omnibus illis, quorum curam in hoc ferali morbo geſſit cl. BRÜNING, deceſſerit nemo, niſi puella cacochymica, quam diarhœa putris abſtulit, cortice ipſo indomabilis. (*l. c. p.* 64.) Dari autem ille poteſt in principio, ſi angina illud permittit, quod tamen raro accidit, in ſubſtantia ad ſcrupulum unum aliquoties in die, ex mixtura temperante, acidulata; ſi vero faucium inflammatio pulverulenta prohiberet, ejus decoctum vel extractum, ſubſtituendum; (BRÜNING *l. c.*) tincturam ſuam alexipharmacam ſubſtantiæ præponit HUXHAM, (*l. c. p.* 112.) cum magis exanthematum eruptionem promoveat, & multo minus ſudoris exortum

tum

tum impediat, qui moderatus & æqualiter diffuſus tertio, quarto, quinto die, vel tardius accedens ſæpe criticus erat. Poterunt vero & alia remedia cortici admiſceri, prouti indicationes jubeant; & cum minus proſit cortex, ubi pulſus plenus, magnus & celer obſervatur, in hoc caſu paulum nitri, acidus nitri ſuccus, & ſimilia ipſi addantur. (BRÜNING *l. c. p.* 77.) Si ſordes bilioſæ cognoſcantur, optime ejus decoctum cum pulpa tamarindorum miſcetur; ſic enim nata inde & ſervata per totum morbi decurſum ſolutiore alvo ſordes educuntur, ſymptomata ferocia compeſcuntur, ebullitiones ſanguinis reprimuntur. (*ibid. p.* 78.) Si vero diarrhœa ſymptomatica crebrior eſſet, (quæ quidem cortice ſolo interdum tollitur *ibid. p.* 65) cum caſcarilla (WALL *l. c.*) jungatur, vel decoctum Fracaſtorii Fulleri ad cochlear unum aut alterum exhibeatur; (HUXHAM *l. c.*) exanthemata ſalutaria critica, myrrha, camphora, pulvere contrajervæ, ſerpentariæ, promoveantur. (WALL, HUXHAM *l. c.*) Ubi pulſus tremulus, parvus, inæqualis, intermittens, ſalia alcalina volatilia ſimul adhibeantur. (QUARIN *l. c. p.* 62.) Externe vero tumoribus colli, cataplaſmata acria, veſicatoria, applicentur, vapores antiſeptici ex chamomilla, myrrha, camphora, aceto coctis adhibeantur; (HUXHAM *l. c.*) etiam ipſe cortex externe ſummo cum effectu adhiberi poterit; cataplaſ-

taplasmata nimirum ex floribus camomillæ, cortice & camphora parata, pediluvia ex cortice & camomilla cum aqua & aceto coƈta, (PERCIVAL *l. c.*) & præſertim clysmata ex ipſo parata, ſi in ægris admodum delicatis vel infantibus, vel propter anginam ipſam cortex per os ingeri non poſſit. (BRÜNING *l. c. p.* 77. PERCIVAL *l. c.*) Superato vero hac ratione morbo purgantia, ſi etiam in initio morbi non conveniſſent, neceſſaria ſunt, ut nimirum putrida colluvies ex inteſtinis evacuetur, ex qua febris protrahitur, appetitus proſternitur, abdomen tumidum fit & inſignes glandularum obſtruƈtiones naſcuntur. (HUXHAM *l. c.*) Probe itaque primæ viæ expurgentur, & dein continuato corticis uſu vires iterum reſtaurentur. Non raro vero poſt morbum ſuperatum ſequuntur heƈtici calores, ſudores noƈturni, reliquaque incipientis tabis ſymptomata, in quo caſu continuatus decoƈt corticis, elixirii vitrioli & laƈtis aſinini uſus ſumme proficuus erit. (HUXHAM *l. c.* FOTHERGILL *l. c.*)

Etiam catarrhorum hic mentio facienda eſt quæ omni jure ad genus febrium inflammatoriarum referuntur, cum cauſæ ipſarum materia ſero nimirum extravaſato atque aeri reddito plerumque materia inflammatoria ſe adjungat, ipſiſque curatio antiphlogiſtica optime convenia

Pl

Plerumque quidem ſimul cum diatheſi inflammatoria ſimul ſigna colluviei ſordidæ in primis viis juncta ſunt, anorexia, alienus oris ſapor, nauſea, vomitus, diarrhœæ levantes, quæ alienatæ bilis ad primas vias redundantiam indicant, ita ut etiam reliqua febris ſymptomata, capitis dolor, artuum gravitas, præcordiorum oppreſſio, reſpirationis difficultas iſtarum præcipue ſordium copiæ & qualitati reſpondeant, ubi prudens antiphlogiſticorum & purgantium uſus requiritur. (HUXHAM *l. c. T. I. p.* 102.) immo dantur febres catharrhales mere bilioſæ, in quibus antiphlogiſtica nocent, evacuantibus tota curatio curatio nititur, quales epidemias deſcripſerunt PRINGLE, (*l. c. p.* 238.) STRACK, (*Act. Acad. Mogunt. T. I. p.* 309.) WATSON, (*Phil. Tranſact. Vol. LII. P. 2. p.* 646.) BAKER, (*de Catarrho & Dyſent. Londin*) STOLL, (*Rat. med. P. II. p.* 6.) quæ omnibus ſuetis remediis reſiſtebant, ſanguinis miſſione iterata præcipue & profuſiore multum exaſperabantur, at alvi ductione nonnunquam, certius emeſi, certiſſime emetocatharſi ſublatæ; ſimili modo quo etiam verminoſa colluvies cum cauſis febrium catarrhalium complicatur, easque acutiores & pertinaciores reddit, ita ut caput & pectus aliquando nonniſi poſt copioſas & verminoſas alvi dejectiones liberentur. (VAN DEN BOSCH *l. c. p.* 243. VAN PHELSUM *Hiſt. Aſcarid. pathol. p.* 200.) Cujus-

juscunque vero ſive inflammatorii ſive bilioſi generis ſint hæ febres; patet, nullas indicationes adeſſe, quæ corticis uſum requirant, quæ eo ſemper redeunt, ut partium affectarum phlegmone tollatur, diluendo & involvendo ſerum aere uberius iſtuc congeſtum, corrigendo materiam inflammatoriam, quæ ipſi ſeſe adjunxit, evacuando bilioſas ſordes in primis viis contentas, facilitando & promovendo coctionem materiæ ſtagnantis, ejusque per congruas vias eliminationem, reddendo tandem vaſis & glandulis, ſi per morbi nimis longam durationem relaxatus eſſet, juſto fibrarum tono. Atque hoc poſtremo quidem reſpectu non raro corticem ſummo cum emolumento adhibemus. Si enim hæc indicatio negligitur, non raro catarrhi nimis prolongantur, vel ad quodvis refrigerium, quo perſpirabile retinetur, recidunt, atque ſenſim habitum corporis gracilem & extenuatum, ſudores nocturnos, ceteraque incipientis tabis ſymptomata inducunt, quin ſputorum copia atque qualitas, vocis raucitas, ſudores iſti nocturni, alvus lubrica, ſumma corporis macies, veram interdum pulmonalem phtiſin ſimulent, licet non ex exulceratione pulmonum, ſed potius a relaxatione nimia glandularum mucoſarum, indeque orto aeris lentique ſeri in humoribus oberrantis ad pectus decubitu morbus oriatur, in quo caſu cortex peruvianus egregium certe effectum præſtat, (MURRAY *Mat. med.*

med. p. 594.) & ægrum ex tabis lethalis periculo eripit. Licet enim tales catarrhi frequentiores interdum corpori præſidio ſint, & aliarum excretionum inſtar corpus a morbis gravioribus defendant, ita ut etiam, ſimulac hæc excretio ſupprimatur, variæ ægritudines perſentiſcantur, febres, arthritides, rheumatismi & ſimilia, ſenſim tamen non minus ac veræ phtiſes necem inferre poſſunt. Per tuſſim enim continuam vaſcula extenſa nimis & labefactata facile disrumpuntur, hæmoptoicæ affectiones inducuntur, vel etiam ſine ulla pulmonum læſione ob ſolam glandularum & vaſorum laxitatem eo usque procedit humorum ad pectus decubitus, ut chylus ex ingeſtis paratus in pulmonibus non amplius aſſimiletur, ſed in mucum inertem fatiſcens, maxima ex parte expectoratione rejiciatur; quodſi vero per pulmonum vaſa debilitata quotidie exeat maxima pars materiæ illius, quæ reſtituendis perditis liquidorum & ſolidorum partibus inſervire deberet, contabeſcat ſenſim corpus neceſſe eſt; pars vero ſpiſſior acrior congeſtæ materiæ in pulmonibus remanebit, ſtagnationes, obſtructiones, phlegmones, ſcirrhoſitates, exulcerationes & phtiſin tandem inducet. Patet vero, curationem horum catarrhorum prolongatorum talibus remediis perficiendam eſſe, quæ perpetuum humorum ad pectus decubitum avertunt, eos verſus alias excretorias vias, ſive naturales,

ſive arte, per veſicatoria, fonticulos, ſetacea factas dirigunt; ea omnia vitanda eſſe, quæ laxitatem pulmonum augere poſſent, ea vero propinanda eſſe remedia, quæ relaxata vaſa & glandulas roborant, atque eo ipſo decubitum iſtum habitualem humorum pituitoſorum a pectore avertunt. Sic plures obſervavit HUXHAM, (*l. c. T. I. p.* 198.) qui quotidie per longum tempus immenſam muci ſalſi, dulcis, vel etiam plane inſipidi copiam per tuſſim rejecerant, cui neque fœtor inerat, nec purulenti aliquid; & graviter invehit in eos, qui expectorationem promovendi ſcopo oleoſa, emollientia, dulcia, præſcribunt, quæ adhuc magis relaxant, humoribus lentorem inferunt, perſpirationem impediunt, cibi appetentiam & concoctionem impediunt, ipſum ideoque morbum augent, atque tandem diarrhœas colliquativas inducunt, ſed potius ſudorem blande moventia, epiſpaſtica, lenia cathartica, interpoſitis anodynis, tuſſim ſopientibus, atque acrem materiam demulcentibus, ad roborandos vero pulmones decoctum corticis peruviani cum ligno guajaco & ſtyrace ſuadet. Eodem ſcopo cl. VOGEL corticem cum myrrha junctum commendat, ideo quod non ſinat pituitam pernicioſe colliquari, & pulmones corrumpere, hos ipſos egregie roboret, & tam a nimia oppletione, quam ab aliis noxis ex graviore tuſſi metuendis defendat, quo ergo reſpectu catarrhis longis opor-

portunos optime ſeſe præmunire poſſint, ſi per intervalla, inprimis eo tempore, quo humidum cœlum eſt, quod admodum ipſis inimicum eſt, corticem vel in pulvere vel in potione ſumant. (*Diſſ. de Catarrho phtiſin mentiente. p.* 25.) Secundum eandem indicationem cl. TISSOT (*Avis au peuple. §.* 135.) talibus ægris balneorum frigidorum juxta corticis diuturnum uſum; MEDICUS corticis peruviani cum tinctura fuliginis connubium (*l. c. T. II. p.* 462.) commendant. Ipſo hoc quo hæc ſcribo tempore duos amicos, qui inde ex pluribus annis, & quidem uterque poſt præmature ſanata pedum ulcera, chronico catarrho laborabant, cum tuſſi fere continua & copioſis tenacis at meri inſipidi muci ſputis, cum exanthematibus purpuratis & doloribus rheumaticis interdum alternantibus, indies aucto tum virium tum habitus corporis decremento, ſenſimque inductis hecticis caloribus & ſudoribus colliquativis, fonticulorum applicatione & corticis peruviani cum ſucco liquiritiæ & ſaccharo lactis uſu (quo connubio etiam celeberrimum noſtrum *Jo. Geſſnerum* olim reſtitutum fuiſſe gaudemus, *vid.* HALLERI *Epiſt. lat. T. V. p.* 227.) ſumme levatos, & quotidie viribus & habitu reſtauratiores video. Verum interim eſt, quod afferit TRALLES (*de Opio. S. III. p.* 137.), non adeo facile eſſe, dejectis a tono ſuo cellulis & vaſis pulmonalibus priſtinum robur reſtituere.

 Om-

Omnia enim pro corroborantibus habita agunt in eas partes primario, quas primo attingunt; omnia corroborantia laxa vaſa adſtringunt, ampliora coarctant; quando ergo adſtringunt & coarctant vaſa, per quæ primo decurrunt, antequam ferantur ad pulmones, id efficiunt, ut in iis contenta fluida determinentur aliorſum, quia vero jam in pulmonibus minima eſt reſiſtentia, determinabuntur maximam partem ad pulmones, ideoque his corroborantibus malum quandoque augebitur; unde non ſimul & ſemel conſuli poteſt laxis pulmonibus, & quo fortius adſtricturum eſt remedium, eo ſæpe minus illud robur ipſis conciliabunt; maxime itaque juvat corticis decoctum levius primo, dein ſaturatius exhibere melle edulcoratum.

Patet ergo corticem peruvianum in febribus catarrhalibus non quatenus antifebrile in ipſo febris decurſu adhibendum eſſe, ſed tantum verſus morbi finem, tanquam roborans, vel quoties catarrhus chronicus ſit ex ſola relaxatione pulmonum & glandularum mucoſarum partium affectarum oriundus, alias enim depurationem humorum ſub ipſa febre contingentem magis impediret, quam promoveret, uti in juvene quodam vidit ELLER (*de cognoſc. & cur. morb. acutis. p.* 97.) febre quotidiana continua catarrhali decumbente, cortex enim quotidie aliquot vicibus exhibi-

hibitus, criſin exſpectatam repreſſit, ſicque pituitoſam in pulmonibus colluviem accumulavit, ægrum in febrem lentam projecit, quæ diutius protracta ſcirrhoſos in hoc viſcere nodos conſtituit, unde functio ejus debilitata valde corpus robuſtum in debile & emaciatum mutavit, nulla arte reſtituendum. Dari tamen caſus, ubi etiam in ipſo febris decurſu, vel ubi remiſſiones manifeſtæ id permitterent, vel excretiones nimiæ ſymptomatice contingentes, & ſalutarem materiæ in pectore ſtagnantis coctionem & per ſputa excretionem impedientes, id juberent, cortex cum fructu adminiſtrari poſſit, caſus me docuit piſtoris cujusdam, qui ex corporis nimium exæſtuati refrigerio febre catarrhali corripiebatur, cum adeo immani circa frontem dolore ſtipata, ut fere deſperaret; ne minimum doloris vehementia mitigabatur, neque temperantibus, neque pediluviis, ſinapiſmis, veſicatoriis, ſed ad ſeptimum usque diem ægrum torquebat, atque omnem ſomnum prohibebat; manifeſte cum dolor remitteret, corticem tandem adhibui, & eo quidem cum effectu, ut ſequente die cum febris exacerbatione non rediret; febris interim continuabat, cum ſudoribus adeo copioſe profluentibus, ut non induſia ſolum ſed & linteamina & omnia lecti tegmina iis madida mutari ſæpius de die oporteret, quibus etiam vires ægri ſumme debilitabantur; tuſſis ſicca, anorexia, urinæ rubedo, pectoris oppreſſio,

 cor-

corticis ulteriorem uſum vetabant, neque tamen temperantia, leniter alvum ducentia, ſordibus primarum viarum indicata, febrem minuebant; & cum tandem ſtupor, ſomnolentia, tremor, animi deliquia accederent, iterum ad corticem confugi, & omni bihorio drachmam unam exhibui, eo effectu, ut febris ſtatim minueretur, ſudores minuerentur, tuſſis & reſpirationis difficultas levaretur, urina cruda hactenus ſedimentum copioſum dejiceret, vires de die in diem roborarentur, atque æger tandem continuato corticis & ſubjuncto aquæ ſelteranæ cum lacte uſu perfectæ ſanitati reſtitueretur.

Quod vero febres iſtas catarrhales attinet, quas malignas vocare ſolent, his plerumque alienata bilis ad primas vias redundantiam eſſe conjunctam, atque exinde ſymptomatum multitudinem & gravitatem pendere, cuivis attento facile innoteſcit; ſimilemque curam expoſcunt, quam ceteræ putridæ febres. Tales fuere febres iſtæ catarrhales, quas deſcribit HUXHAM, cum capitis, dorſi & præcordiorum gravi dolore, tuſſi, invadentes, accedentibus deliriis, ſurditate, lingua ſubalbida, ſublutea, vel nigra & arida, profuſis ſudoribus, diarrhœa mucoſa, ſive cruenta, urina cruda, exanthematibus aquoſis, urenti , maculis ſubatris, petechiis, aphthis, ſuperveniente tandem phrenitide, anhelosa reſpiratione,

tione, tremore, ſubſultubus, & brevi morte. (*l. c. T. I. p.* 272. 312.) Talis fuit febris iſta mucoſa catarrhalis, quam deſcribit WAGLER, cum anorexia, vomendi conatibus, dolore pectoris, tuſſi, anxietatibus, virium proſtratione, lingua mucoſa, aſpera, ſqualida, fuſca, nigra, ſudoribus profuſis, diarrhœa ſanguinolenta, verminoſa, deliriis, petechiis, aphthis ſtipata, in qua niſi putredo abdominalis omni adhibita cura quantocyus corrigebatur, vehementia morbi ad deliria ſoporesque graviſſimos brevi evehebatur, atque ægros vel gangræna abdominali vel gangrænoſa pulmonum obſtructione jugulabat, vel ſcirrhoſa, purulenta obſtructione lentiore apparatu conſumebat; (*Diſſ. de morbo mucoſo. p.* 65-75.) tales fuerunt, quas per plura Europæ loca divagantes deſcripſerunt PAULI, (*A. N. C. Vol. VI. obſerv.* 66.) LOEW, (*ibid. Vol. III. append.*) BRÜNING, (*l. c. p.* 17.) in quibus febribus curationis ſcopus eo redibat, ut primo quidem ſtadio antiphlogiſticis, aperientibus, temperantibus, acidis, atque pro ratione inflammationis junctæ venæſectione, remediis alvum leniter ducentibus, vomitum lenem moventibus, febris ulterior progreſſus & augmentum interciperetur, quamprimum vero putredo abdominalis ſeſe evolvebat, eo cautius reſolventia antiphlogiſtica, venæſectiones adhibendæ erant, quibus vires & humorum ubertas pro morbo ſuperando neceſſaria præ-

cerpebantur, atque ſymptomata putredinis intendebantur; ea potius remedia requirebantur, quæ humores diffluentes incraſſabant, atque compingebant, potus acidulati, acida præſertim mineralia diluta, cum lenioribus evacuantibus & anodynis mixta, quibus putredo abdominalis corrigebatur, ſpaſmi & dolores demulcebantur, adhibitis ſimul veſicatoriis & camphoratis ad promovendam ſalutarem, ſi quæ contingebat per exanthemata, criſin; mira vero, ſpecifica & non ſatis laudanda præſtabat cortex peruvianus, qui alvum nimis fluidam blande conſtipabat, nervos & partes debilitates reficiebat, putredinem & malam coctionem gangrænoſam compeſcebat, atque criſin ſalutarem inprimis purulentam mira quadam virtute promovebat; ſub morbi vero decremento continuatus primarum viarum vigorem reſtaurabat, tranſpirationem promovebat, reſidua œdemata atque ceteras morbi reliquias diſſipabat. (WAGLER *l. c.*)

Sunt etiam febres catarrhales nervoſæ lentæ, qualis fuit, quam deſcribit STOLL (*Ann. med. II. p.* 35.), in qua primordia febris obſcura, & a ſolenni inchoantium febricularum non aliena erant, febriles motus aſſidui, nunc pluſculum elatiores, nunc depreſſiores vix manifeſtæ, horripilationes leves vagæ, ſudatiunculæ, lingua glabra, glutine veluti obducta, ſubinde pura, ſed

ſicca,

ſicca, anorexia, guſtus aut amaricans aut nullus, nulla ſitis, facies rubra, oris naſique ambitus flaveſcens, dolores artuum, lumborum, thoracis quaſi rheumatici, ſenſus confuſi, ſtupor, deliria nocturna, mitia, taciturna, cophoſis, animi indifferentia, capitis plumbea gravitas, ejusque levandi impotentia, tuſſis veſpertina, nocturna, ſicca primo, dein ſputa extundens craſſa, ductilia, albida, vireſcentia, faucium absque tumore rubor & dolor, aphthæ, miliaria, diarrhœa vires debilitans, multis lethalis. In hac febre modo ſincera, modo cum inflammatoria vel bilioſa complicata, optima medendi ratio erat, morbum ſolventibus ſalinis aggredi, juncta potione antiphlogiſtica, vel etiam venæſectione, ubi in corpore robuſtiore imminentis phlogoſeos metus fuerit; exactis vero aliquot diebus emeticum propinare, ut, quod abdomini inſideret, evacuaretur, & quod vaſis altius implicabatur, iisdem extricaretur, dein refractis tartari emetici aut ipecacuanhæ doſibus, ſalibus mediis, decoctis reſolventibus humores alterare & attenuare. Fuerunt vero quidam, quibus præter multam pituitam inſignis quoque ſolidorum imbecillitas erat, pituitoſæ moli ſubigendæ impar, hi inprimis, qui aut phlebotomiis vires fregerant, aut easdem ad morbum attulerant jam antea dejectas; tales vero ſuccorum utut pravorum jacturam non tulerant, & ejusmodi vacuare vomitorio, vel pur-

gante, lethale fuerat; labantem ſolidorum compagem tunc oportuerat cortice peruviano firmare; hos ſaturatum ejusdem decoctum nonnunquam juvit; in pulverem enim tritus anxios, nauſeabundos, cardialgia affectos, & pronos in perniciosum alvi fluxum reddidit. Aliis continuo alvus fluebat, & pluribus quidem ſeptimanis, quæ diuturna diarrhœa carnes & vitæ vim abſumebat, neque vomitorio cedebat, quod purgantis vices obiit & ſtuxum adauxit, neque ipſis opiatis, adſtringentibus obedibat, utpote quæ citius e ventre dilapſa, quam ſuas exercere virtutes potuerant, infuſo vero arnicæ, decocto corticis peruviani, veſicantibus omni alterno vel tertio die adplicatis, interdum ſublatæ.

Pergimus ad pleuritidem & peripneumoniam, in quibus certe reſpectu uſus corticis idem valet, quod de angina & catarrhis diximus; differunt nimirum iterum hæ inflammationes internæ ratione febris complicatæ, atque ſecundum hanc differentiam etiam medendi methodus varia eſſe debet. Sunt pleuritides & peripneumoniæ inflammatoriæ cum compage totius corporis, vaſculoſi præſertim nervoſique ſyſtematis, robuſtiore, ſanguine denſiore junctæ, in quibus frequentiſſime præ aliis morbis cruſta alba gryſea ſanguini e venis miſſo inſidet, quam & ideo corium pleuriticum dixerunt, in quibus primarium

a ſan-

a ſanguinis miſſione tempeſtiva, ſufficiente, ſæpiusque repetita, remediis ſolventibus antiphlogiſticis, præſidium exſpectandum eſt, quibus nimirum lentor inflammatorius attenuetur, vaſa nimis tenſa & obſtructa relaxentur, febris atque impetus vitalis verſus loca affecta minuatur, ſtagnans materia coquatur, atque coctæ excretio per idonea organa, ſputa præſertim & ſudores adjuvetur. Nulli vero harum indicationum reſpondet cortex peruvianus. Narrat quidem cl. MEDICUS (*l. c. p.* 456.) caſum febris peripneumonicæ inflammatoriæ, in qua ſummo cum fructu corticem adhibuit. Vir enim pectoris moleſtiis jam diu vexatus febre peripneumonica corripiebatur; nil juvabant venæſectiones, emulſiones refrigerantes, veſicatoria, ſed morbus indies augmentum capiebat, accedebant deliria furioſa, purpura, ſubſultus tendinum, alvi involuntaria fœtida excretio, tuſſis aderat continua, ſputa copioſa puriſimilia fœtida; cortice nunc cum nitro & cremore tartari largiter exhibito & continuato purpura evaneſcebat, æſtus minuebatur, diarrhœa mitigabatur, etiam delirium poſt repetitam veſicatoriorum applicationem ceſſabat, morbus tandem perfecte tollebatur, ipſa pectoris, quæ antea aderat debilitas, emendabatur, atque ægro perfecta ſanitas reſtituebatur. An vero ſimplex inflammatorius fuerit hic morbus; an vi proprie antiphlogiſtica cortex profuerit;

rit, annon potius cum antiqua forſan antea latente pulmonum vomica per inflammationis vehementiam nunc rupta morbus complicatus fuerit, ſuadentibus id pectoris debilitate ante morbum manifeſta, purpura, alvi fœtido fluxu, ſputis ſanguineis fœtidis purulentis; annon cortex putridam hanc ſaniem in maſſam ſanguinis reſorbtam, febrim augentem, reſolutioni benignæ obicem ponentem, corrigendo, vaſa pulmonalia ab antiquo morbo relaxata & ad reſolutionem minus idonea roborando, laudatam utilitatem potius præſtiterit, quam vera vi antiphlogiſtica, dubitamus.

Non negamus quidem, dari in ipſis pleuritidibus & peripneumoniis conditiones, ſub quibus cortex cum fructu adhiberi poſſit, immo ejus uſus neceſſarius ſit. Sic interdum contingit, quod in pleuriticis, maxime poſt venæſectiones largiores inſtitutas, licet alvus aut ſputa critica ſint, æger valde debilis fiat, pulſus celer & parvus, febris certo tempore increſcens obſervetur; hiſce vires deficere videntur, ut natura impura a puris ſeparet & excernat, quare extractum corticis ad binas aut tres drachmas nychtimero remediis emollientibus & expectorantibus junctum exhibuit QUARIN, neque unquam inde malum effectum, aut ſputa ſuppreſſa vidit; deſiſtendum vero iterum a cortice, ubi vires & pulſus inſurgunt.

gunt. (*l. c. p.* 93.) Sic etiam, ſi verſus morbi finem ob virium defectum ſputa ſupprimuntur, decoctum corticis quibusdam egregie convenit, ſputorum coctionem & expectorationem adjuvat; caveamus tamen, ne in cauſarum dijudicatione fallamur; æque facile enim ſputa ſupprimit, reſpirationem difficiliorem reddit, & inflammationem jam fere ſublatam reſuſcitat. (FOTHERGILL *Med. Obſ. and Inquir. Vol. V. p.* 346. AASKOW *Diar. med. navale. A. I. p.* 42.) Porro, ubi in ſuppurationem tranſiit morbus, neque puris optima conditio, virium integritas citam ulceris depurationem & conſolidationem promittat, ſed materia varie colorata fœtida ſputis rejiciatur, febris hectica ingrediatur, cum ſomni, appetitus, viriumque defectu, ea certe quæ balſamica vi puris indolem corrigunt, vires roborant, relaxatorum vaſorum tonum augent, egregie convenient; proderit itaque omni bihorio corticis doſin cum melle aut ſyrupo quodam pectorali præſcribere; (TISSOT *Avis au peuple. p.* 104.) vel decoctum corticis, agrimoniæ, virgæ aureæ cum lacte propinare. (QUARIN *l. c. p.* 94.) Si tandem in pleuritide valida, ſive ex morbi vehementia, ſive ob neglectum congruorum remediorum uſum, ſive ob humorum cacochymiam, virium naturæ defectum, antiqua pulmonum vitia, nec ſigna critica evacuationis aut ſuppurationis occurrant, ſed vires ſubito decreſcant,

dolor,

dolor minuatur, genæ rubeant, cum pulſu debili, extremorum frigiditate, facie hippocratica, ſtertore, ſputorum fœtidorum viridium, cæruleorum, nigrorum rejectione, quæ gangrænam ortam indicant, tunc, ſi tentare quid adhuc liceat, præter dolentis lateris ſacrificationes, profundas coſtarum inuſtiones, fomenta antiſeptica, etiam internus corticis peruviani, camphoræ, camomillæ uſus negligi non debet. (QUARIN *l. c. p.* 96.)

Non ſemper vero pleuritides & peripneumoniæ inflammator*iæ* ſunt, ſed varie quoque cum aliis febrium generibus complicantur. Dantur enim inflammationes pectoris bilioſæ, in quibus bilioſæ ad primas vias colluviei ſigna, ex linguæ ſordibus, amaro & nauſeoſo ſapore, vertigine, capitis dolore, præcordiorum plenitudinis ſenſu, nauſea, inſolito faecum fœtore, deprehenduntur; in quibus natura ſæpiſſime ſub hoc rerum ſtatu ſua ſponte ſibi levamentum præſtat vomitu ac dejectionibus abundantis corruptæque ſaburræ; quæ nullum plane aut cautum ſaltem venæſectionibus locum permittunt; ubi vero digeſtivorum, laxantium antiphlogiſticorum, immo & emeticorum uſu, ipſa inflammatio minuitur atque tollitur (SCHROEDER *Diſſ. de pleurit. partitione. Gœttingæ.* 1769. SELLE *l. c. p.* 215. QUARIN *l. c. p.* 109. STOLL *l. c. T. I. p.* 29.

29. *ſqq.*) In his vero æque parum conveniet cortex ac in ceteris bilioſis febribus, cum cauſæ morbi minime medeatur. Contingit vero, quod ex iſta putrida in primis viis ſtabulante bile in ſanguinem reſorbta ipſa humorum maſſa corrumpatur, atque exinde febres bilioſæ putridæ generentur; in quibus ſola evacuantia non ſufficiunt, ſed ſimul efficaciſſima antiſeptica in uſum vocari debent. Tales fuerunt illæ pleuritides, quæ in Actis Edinburgenſibus memorantur, quæ valido incipiebant horrore, cephalalgia, vomitionibus bilioſis, ſequente dolore pungente ſub coſtis, reſpiratione difficili, tuſſe ſicca, in quibus venæſectiones dolorem augebant, pulſum debilem reddebant, immo animi deliquia accerſebant, apparente ſanguine fuſco, flavo, viridi, laxe cohærente; ubi contra ommiſſa venæſectione, exhibitis tempeſtive & iteratis vicibus emeticis, purgantibus, acidis, facilis curatio ſuccedebat. (*Med. Eſſays. T. V. P I. p.* 32.) Tales erant pleuritides iſtæ malignæ, quas deſcribit cl. TISSOT (*ſeconde lettre ſur l'epidemie cour. p.* 21.) magna virium proſtratione, ſtupore, pulſu molli, parvo, junctæ, in quibus præter evacuantia alvina, acida, camphora, veſicatoria, eaque omnia, quæ fomitem putridum ex primis viis educebant, putredinem ſanguinis corrigebant, viribusque vitæ nimis depreſſis proſpiciebant, adhibenda erant. Tales erant epidemicæ illæ pleuropneumoniæ, quas

quas deſcribit GIGNOUX (*Journ. de Medec. T. XII.*) cum nauſea, vomitu, tuſſi, æſtu ardente, pulſu parvo celeri, dejectionibus fœtidis, mucoſis, bilioſis, verminoſis, ſputis ſpumoſis ſanguineis amaris, ſumma pectoris & præcordiorum oppreſſione ſtipatæ, in quibus præmiſſa parca venæſectione, emetica, purgantia, clysmasa, acida, & ſi vires admodum languebant, camphora, veſicatoria curationem abſolvebant. Tales fuerunt pleuritides & peripneumonicæ putridæ verminoſæ, in quibus curatio antiphlogiſtica ſola, nulla habita ad primas vias ratione, nil juvabat, evacuantia vero & antiſeptica medelam abſolvebant. (V. D. BOSCH *l. c. p.* 231.) Atque in hiſce febribus omnino etiam cortex peruvianus egregias quandoque vi ſua antifebrili antiſeptica cardiaca præſtabit opes, præſertim cum acida mineralia corrigendæ putredini ſœpe non ſufficiant, immo adſtringente ſua vi tuſſim quandoque augeant, reſpirationem difficiliorem reddant, vires nimis deprimant (TISSOT *l. c.*) Ubi itaque nec a dictis purgantibus, nec ab acidis dilutis ægri leventur, putredinis ſigna augeantur, gangrænæ metus increſcat, decoctum aut extractum corticis juſta doſi & cum aliis remediis indicatis miſcela adhibeatur; cum acidis quidem, ſi virium actuoſitas adhuc vigeat; cum camphora & veſicantibus, ſpiritu cornu cervi, caſtoreo, moſcho, ſi pulſus mollis, debilis, tremulus, deliria, ſubſultus ten-

dinum

dinum, floccorum lectio, convulſiones accedant. (QUARIN *l. c. p.* 111.) Sic in peripneumoniis & pleuritidibus epidemicis bilioſis putridis, quas deſcribit WINSLOW, purgantia antiſeptica, corticis cum ſpiritu vitrioli juncti & veſicatoriorum uſus, ſummum & unicum præſtabant auxilium. (TODE *Med. Bibl. I. B.* 3. *St. p.* 189.) Sic in febre epidemica peripneumonica bilioſo putrida intra paucos dies inducta gangræna lethali poſt evacuantia præmiſſa, ſummum ex corticis cum camphora nupti effectum obſervavit RAULIN; (*Obſerv. Med. p.* 234.) & in pleuritidibus, quæ eo tempore, quo febris epidemica putrida petechialis graſſabatur, intercurrebant, ab eadem putrida inteſtinali colluvie productis, nullum ex vulgaribus remediis auxilium præſtabat; licet enim primis diebus venæſectiones adminiſtrarentur, fomenta emollientia, veſicatoria ſupra dolentem partem imponerentur, julapia refrigerantia, decocta emollientia, ſolventia, antiphlogiſtica, copioſe adhiberentur, nulla tamen ſputa cocta prodierunt, ſed febris intendebatur, deliria accedebant, & gangræna ſeptimo plerumque die ægrum jugulavit; ubi ergo præmiſſa venæſectione, adhibitis acidis, antiphlogiſticis, veſicatoriis, die quarto ſputa cocta non prodibant, ſed mens alienabatur, fauces aridæ reddebantur, febris increſcebat, ad gangrænam prævertendam ad corticis uſum accedere neceſſe erat, cujus extracti

 uncia

uncia una intra viginti quatuor horas propinabatur, juxta adhibitis enematibus purgantibus, quo alvus proflueret, vel ſi hæc alvum non moverent, admixto cortici ſale purgante, donec alvus fluxerit; ſic enim putrida colluvies, a qua morbus ipſe erat, ſubmovebatur, ejusque reliquiæ cortice peruviano intus condiebantur, ne eæ corpus antea corrumperent, quam omnes evacuatæ eſſent; atque hac ratione plerique ægri intra decimum duodecimumve diem reſtituebantur. (STRACK *de morbo c. petechiis. p.* 278. *Conf.* STOLL *l. c. T. II. p.* 122.)

Occurrunt etiam pleuritides & peripeumoniæ putridæ ſanguineæ, colluviei putridæ ad primas vias ſignis deſtitutæ, quæ cum bilioſis putridis in eo conveniunt, quod venæſectionem rarius admittant, ab illis vero plerumque remittentibus diſtinguuntur, quod potius continentes ſint, & præcipuum illarum adjumentum, nimirum evacuantia alvina, multo cautius rariusque, neque ſine peculiari ratione poſtulent; ſed primarium auxilium ex efficacioribus antiſepticis petant; quales fuere, quas deſcribit HUXHAM, (*l. c. T. I. p.* 324. *P. III. p.* 63.) in quibus ægri magis pectoris gravitatem quam dolorem querebantur, animam laborioſe ducebant, & cum frequente ſuſpirio potius, quam cum anhelatione æſtuante, nil exſpuebant, aut ſincera, perliquida

quida minime coĉta, aut ſaniem fere ſubatram, acerrimam; quorum ſanguis frigefactus nimis apparebat ſolutus, parum firme cohærens, craſſomento livido; plurimo fulvo, turbido aut ſubviridi, aut ſubrubicundo innatante ſero; urina cruda, tenuis, lactea, ſubnigra; lingua atro veluti muco oblita, vel ſicca admodum & prærubra, colore corticis granati æmula, ſæpe liveſcens cum bulla nigra ad apicem; cum pulſu celeri valde, exili, contracto, aut molli, inæquali & vacillante; ſudoribus profuſis, inæqualibus frigidis; petechiis lividis, aut nigris, aphthis nigris caſtaneis, puſtulis copioſis fœdis & exulceratis in nucha, humeris, brachiis, inprimis autem circa nares & labia erumpentibus; in quibus itaque putredini reſiſtentia pectoralia, acida, camphora, vel ſi corruens vita fulciri cardiacis debet, cortex peruvianus, ſerpentaria, vinum, veſicatoria requiruntur. (STOLL *l. c. p.* 123.)

Quod vero inflammationes ventriculi, inteſtinorum, hepatis, ceterorumque viſcerum abdominalium attinet, eæ quidem interdum a communibus iſtis febrium inflammatoriarum cauſis pendent, ſtaſi nimirum ſanguinis denſi ſpiſſi inflammatorii, atque iisdem remediis antiphlogiſticis, quibus aliis inflammatoriis febribus medemur, tollendæ ſunt, habito tantum reſpectu, ad partium affectarum diverſitatem, ne minimum inter-

dum ex remediorum internorum uſu irritamentum facile ferentium, ſed externa præſertim requirentium, venæſectiones, vaſorum hæmorrhoidalium aperturam, cataplasmata, fomenta, unguenta, clysmata emollientia, veſicatoria, quibus ſtricta vaſa emolliantur, ſtagnantes humores reſolvantur, ſuppuratio periculoſa, gangræna lethalis arceatur. Neque cortici peruviano in hiſce inflammationibus ex diatheſi phlogiſtica ortis magis locus eſt, quam in ceteris, niſi quatenus verſus morbi finem laxitatem partium ipſa inflammatione & remediorum relaxantium uſu inductam tollit, vel natam ex ſumma morbi vehementia gangrænam arcet. Notandum tamen eſt, inflammationes viſcerum abdominalium, præſertim hepatis, facile febrem putridam accerſere, dum nimirum inflammationis & ſpasmorum inde excitatorum vehementia bilis ſecretio & excretio mox perturbatur, hic vero humor præ reliquis facile accedente majore calore in putredinem vergit, qua in ſanguinem regurgitans cito totam humorum maſſam inficit; unde quamprimum incipientis putredinis ſigna apparent, mature ad efficaciſſima antiſeptica confugiendum eſt, ne aucta putredine viſcerum gangræna lethalis oriatur. (SARCONE *l. c. T. I. p.* 250.) Non raro etiam febribus bilioſis putridis in ſummo morbi vigore inflammationes viſcerum abdominalium accedunt, uti ſectiones ægrorum febribus talibus epidemicis

cis mortuorum oſtendunt, in quibus pleraque viſcera abdominalia inflammata & ſphacelata inveniebantur. (VANDERMONDE, MOUCET, DARLUC, *Journal de Medecine. T. VI. p.* 69. *T. XI. p.* 61.) Neque eſt, quod miremur, toties hic inflammationes viſcerum accedere, cum tot adſint cauſæ, quæ eas producendi occaſionem præbere poſſunt; ſanguis acris & diſſolutus, qui eo facilius in vaſa minora & celluloſam adigitur, cum viſcerum hic adſit laxitas e putredine orta, unde ſanguini irruenti minus reſiſtunt; acris ſimul & corrupta adſit bilis, irritans, ſpasmos inducens, & majorem ſanguinis cumulum alliciens, eoque magis, ſi ſalubres diarrhœæ, vomitus, adſtringentibus aut ſimilibus forſan cohibeantur, irritans materia retineatur, diæta & regimine, calefacientibus, & medicamentis ſudoriferis materiæ acrimonia & putredo augeatur, vel emeticis fortioribus aut intempeſtive datis, colluvies acris, tenax, minusque involuta proliciatur, unde magis irritantur fibræ, viſcera in fortiores contractiones coguntur. Longe alia vero curatio harum inflammationum ſymptomaticarum, ex putredine ortarum, eſſe debet, quam iſtarum ex ſanguinis inflammatoria diatheſi provenientium; neque aliis, quam remediis, quæ irritantem materiam corrigunt & educunt, & natam putridam humorum diſſolutionem corrigunt, efficaciſſimis antiſepticis, aut præcaveri aut tolli

poterunt. Cum vero plerumque occulte iſtæ inflammationes accidant, neque interdum cognoſcantur, prius quam lethalis jam gangræna inducta eſt, maxime intereſt, ut ſedulo ad quævis ſigna probe attendamus, ex quibus natas in ipſo primordio cognoſcamus. Quodſi itaque morbo longius jam durante ſymptomata acrius urgent, appetitus pertinaciter deficit, nec acidis nec lenibus catharticis ſe revocari ullo modo ſinit, vomitus nullam affert levationem, congeſtio ad caput, & ſymptomata quæ inde eveniunt, poſt venæſectionem, temperantia, evacuantia, cedere nolunt, ſi lingua fuſcam, lividam, nigram, aridamque induit ſuperficiem, ſi ſpiritus brevior & cum majore anxietate trahitur, ſi ſingultus accedit, ægri æſtum & ſenſum quendam circa hypochondria moleſtum, gravativum, fixum, permanentem experiuntur, vel ſi hypochondria tetigeris doloris ſenſum quendam produnt, hypochondria dura tenſa ſunt, cum oculorum obtutu acri atque intento, animi abjectione, ſopore, ſumma virium proſtratione, pulſu parvo inæquali, ſymptomatibus ſpaſticis variis, de inflammatione viſcerum hypochondriacorum non dubitandum erit; blandis itaque lenibusque purgantibus, cum nitro, camphora junctis, acres illas & bilioſas ſordes, quæ cauſam harum inflammationum conſtituunt, easque alunt, reſolvere atque imminuere annitemur, adhibitis ſimul venæſectionibus,

nibus, ſi nondum admodum immutata ſit craſis ſanguinis, pulſus & vires non admodum debilitatæ, clyſteribus, ſtricturas e ſpasmis auferentibus, & ſimul acres ſordes eliminantibus, oleis, unguentis, cataplasmatibus emollientibus diſcutientibus, veſicatoriis ſuris vel ipſis hypochondriis appoſitis, non ſolum ſpasmos & ſtricturas viſcerum egregie tollentibus, ſed etiam ipſas inflammationes potenter reſolventibus. (WIENHOLT *Diſſ. de infl. occult. viſc. hypochond. in febr. bil. putr. Gœtting.* 1772.) Si vero inflammationes iſtæ non tam ex acri & corrupta bile, ſed potius ſimul ex diſſoluto ac putrido ſanguine originem trahere videantur, ſumma virium tum animalium tum vitalium debilitas adſit, ea ſimul adhibebimus, quæ putredini reſiſtunt, fluida & ſolida denſiora reddunt, ſyſtema nervoſum roborant, & æſtum febrilem putridum minuunt, quo in primis conferre poſſunt epithemata frigida, hauſtus aquæ frigidæ, & corticis peruviani uſus; neque metuendum eſt, ne forſan ex corticis uſu hæ inflammationes augeantur, cum non a ſanguine denſo ſed diſſoluto potius & putrido, non a vaſorum rigida ſtrictura ſed a relaxatione potius eorum originem trahant; (PEZOLD *von faulen Fiebern. p.* 41.)

De uſu corticis peruviani in inflammationibus uteri in capite de morbis puerperarum aptior dicendi locus erit.

Quod autem uſum corticis in febribus rheumaticis attinet, iis nempe, quæ cum dolore ingente articulorum. muſculorum, expanſionum tendinoſarum, aponeuroticarum, ſive univerſi fere corporis ſive partis tantum, junctæ ſunt; notum eſt, eas plerumque ſanguinis diatheſin inflammatoriam comitari, robuſtos plethoricos iisdem ſub conditionibus ac ceteræ inflammatoriæ febres invadere, impetuoſiorem ſanguinis ipſius ad partes dolentes appulſum obſervari, dolores in membris reſidentes ita reſpondere febri inflammatoriæ comiti, ut pari ſemper cum ea paſſu incedant, eodem tempore accedant, augeantur, finiantur; ita ut etiam in curatione potiſſimum ad adjunctam iſtam febrim reſpiciendum ſit, & methodus antiphlogiſtica, venæſectiones iteratæ, clysmata, oxymel, largus nitri uſus & ſimilia, indicatiſſima & efficaciſſima ſint remedia. Sunt quidem & aliæ febres rheumaticæ potius bilioſæ, quales obſervantur adulta æſtate, atque initio autumni, quo morbi gaſtrici bilioſi dominatum obtinent, in iis præcipue, qui ex morbo bilioſo convaluerunt, ſi forte durante morbo aut nulla aut non ſufficiens per vomitum atque alvum bilioſæ ſaburræ evacuatio fuerat inſtituta, quales

præ-

præcipue etiam poſt dyſenteriam bilioſam adſtringentibus opiatisque præmature ſublatam, poſt febres autumnales præcoci corticis uſu ſufflamminatas, præcipue ſi intempeſtivis ſudoribus materies verſus corporis ſuperficiem fuerat determinata, frequentiſſime obſervantur; in quibus nullum a venæſectione levamen, quin potius dolorum augmentum contingit, ipſæ cruſtæ phlogiſticæ color non albicans, ſed ex flavo viridescens eſt, ceteraque morbi indubitato bilioſi ſigna febris indolem manifeſte docent; (SELLE *l. c. p.* 220. STOLL *l. c. Ann. I. p.* 21. *II. p.* 124.) in quibus poſt ſingulum vomitorium ægri doloris manifeſtum levamen & ſtatim ſentiunt, bilioſa revomentes, medicamenta ſolventia ſalina fomitem morbificum præparantia & criſi artificiali evacuantia citiſſime curationem abſolvunt. Patet ergo non aliam hiſce febribus curationem adhibendam eſſe, quam ceteris inflammatoriis, eo inprimis reſpiciendo, ut febris juſto moderamine teneatur, morboſæ corporis diſpoſitiones, quæ cauſam morbi præbent, aut fovent, ſive ſit diatheſis phlogiſtica, ſive bilioſa, quoad fieri poteſt, minuantur & tollantur, & qua via humorum depurationem natura facilius admittat vel moliri videatur, ea in medendo præcipue eligatur; cavendo evacuantia fortiora, corpus turbantia, coctionem materiæ rheumaticæ impedientia; ſtimulantia, ſudorifera calida, quæ febrim

 au-

augent, ſubtiliora educunt, craſſiora relinquunt, in parte affecta magis figunt vel ad viſcera nobiliora repellunt; vitando opiata, quæ febrem intendunt, alvi ſalutarem excretionem impediunt, ſudores inutiles movent; vel roborantia, quæ excretiones ſalutares remorantur, febris impetum adaugent. Neque ergo etiam cortice peruviano magis indigent, quam reliquæ, ſed maturius exhibitus febrem & dolorem auget, anxietates & pectoris moleſtas oppreſſiones producit. (QUARIN *l. c. p.* 226.) Sunt tamen etiam in hiſce febribus quædam conditiones, quæ roborantium & ipſius corticis uſum admittunt. Et primo quidem ſalubris erit corticis uſus, ubi febris rheumatica methodo laudata, ope remediorum temperantium antiphlogiſticorum, leniter evacuantium, ſatis minuta, manifeſtas nunc remiſſiones habet, neque tamen adhibitis ulterius iisdem remediis penitus tolli poſſit, ſed ad hebdomadas protrahatur, unde æger indies magis debilitatur, atque emaciatur. Febrim epidemicam rheumaticam deſcribit SIM's (*Bemerkungen über epidem. Krankh. p.* 47.) in qua & dolor & febris valde acuta, ſanguis vena emiſſus cruſta pleuritica tectus, moleſtæ capitis oppreſſiones & ſtupor inſolitus, magna in ſudores minime tamen levantes apparebant; venæſectiones, & lenia purgantia antiphlogiſtica, & mitigata febre mitiora diaphoretica ſæpe morbum feliciter tollebant; ſæpius

tamen

tamen diaphoretica ſudorem inutilem & ægrum ſumme debilitantem producebant; in hoc caſu & ubi manifeſtæ apparebant remiſſiones, egregie juvabat cortex peruvianus; interdum quidem malum effectum edere, omniaque ſymptomata augere, dolorem exaſperare, ſudores copioſores moleſtiores excitare, exacerbationem ſequentem graviorem reddere videbatur, at poſt unum alterumve diem omnia moleſtiſſima ſymptomata mitigabantur, febris ceſſabat, & morbus brevi tollebatur. Jam MORTON (*Oper. T. I. p.* 118.) corticem peruvianum ad febres rheumaticas remittentes adhibere docuit, cum alias, ſi diutius protrahuntur, in hecticas tranſeant, quæ flamma hectica niſi arte vel natura exſtinguatur, viam in pulmonariam phtiſin certiſſime ſternat; & plura exempla adducit ægrorum exinde in ſummam debilitatem, appetitus dejectionem, calores & ſudores hecticos & univerſalem languorem deductorum, liberaliore tandem corticis uſu ſanatorum. Sic etiam QUARIN (*l. c. p.* 226.) in febribus rheumaticis, ubi vires valde proſtratæ, & exacerbationes certo tempore redeuntes apparebant, continuato diluentium, temperantium, diaphoreticorum uſu, extractum corticis peruviani ſummo cum effectu propinavit. Secundo, dantur febres rheumaticæ, catarrhales pituitoſæ potius quam inflammatoriæ, tenerioribus & debilioribus familiariores, in quibus pulſus celer & debi-

debilis, urina naturali ſimilis, vel nubeculam diſperſam habet, quæ longius excurrunt, ſæpe miliaribus, ſedimento urinæ mucoſo, ſudore æquali copioſo finiuntur, in quibus venæſectiones & purgantia minus conveniunt, (QUARIN *l. c. p.* 223.) in his poſtquam per priores morbi dies temperantia diluentia & ſexto forſan die lene laxans adhibita fuerunt, & febris exinde mitigata fuerit, inde a ſeptimo die ſummo cum fructu decoctum corticis vel ſolum, vel cum ſale ammoniaco, ſi alvi obſtructio id juberet, junctum adhibuit BROCKLESBY (*l. c. p.* 83.) & continuato ejus uſu nono, decimo, die, apparente urinæ ſedimento lateritio, feliciter morbum tolli vidit. Tertio, contingit interdum, ut febris rheumatica vel ab inito putridam quandam humorum diathesin junctam habeat, vel in progreſſu morbi putredo accedat, ad quam arcendam atque tollendam corticis uſus neceſſarius eſt; talem rheumaticam febrem deſcribit AASKOW, (*Diar med. nav. A. I. p.* 57.) quæ quos corripiebat graviter cruciabat, lumbos & crura plerumque tenebant dolores, non raro ex uno in alterum locum fugaces, ſanguis emiſſus cruſtam albam tenacem craſſam ſemper oſtendebat, attamen morbus poſt ſeptimum vel undecimum diem putridæ vel nervoſæ febris induebat faciem, cum deliriis, motibus convulſivis, tremoribus, tendinum ſubſultibus, ſingultu, comate, alvi & veſicæ involun-

taria

taria excretione, pulſu celeri inæquali parvo, lingua arida, tremula, ſudoribus pinguibus frigidis; atque ſub talibus conditionibus, quamprimum vehementia & durities pulſus minuebantur, & mala iſta putredinis ſymptomata incedebant, ſtatim camphorata & cortex peruvianus, veſicatoria, moſchus exhibebantur, & ſic multi ſanabantur. Ipſis hiſce diebus ſimilem egregium corticis effectum in febre catarrhali rheumatica putrida obſervare mihi contigit. Vir nimirum quinquagenarius, cum inde ab aliquot diebus leviores quosdam catarrhi prodromos, & vagos artuum dolores perſenſerat, nulla prævia corporis præparatione venam ſibi ſecari ſinit, non ſine apparente levamine, at ſequente die cum prandium cum amicis ſumſerat, gravi horrore corripitur per plures horas durante, quem excipiebant capitis & artuum dolores, æſtus, & vehemens inflammatoria brachii ejusdem, cujus vena inciſa fuerat, intumeſcentia; quæ ſequente die omnia augebantur, cum ſiti, inquietudine, lingua ſicca, impura, alvi obſtructione, cutis ſiccitate, ſomnolentia, tuſſi frequenti; nil juvabant temperantia, alvum leniter ducentia, clysmata, ſed quarto die febris augebatur, urina intenſe rubra, fœtida, anima & ſudores viſcidi fœtidi, ſomnolentia, deliria, ſumma virium proſtratio, pulſus celeris, debilis, manuum tremor, motus convulſivi, floccorum lectio, incipientem putredinem

&

& ſummam nervorum affectionem manifeſte docebant. Statim igitur præſertim cum brachii tumor ſubito diſparebat, partesque tumore modo tenſiſſimæ nunc flaccidæ & ſine omni dolore apparebant, ſinapismi plantis & veſicatoria ſuris applicabantur, ſyrupus violarum cum vitrioli ſpiritu acidulatus copioſe potui admiſcebatur, nitro camphora larga doſi addebatur, & omni bihorio unciæ duæ concentrati corticis decocti propinabantur, quibus tandem efficiebatur, ut ſeptimo die ſudores levantes erumperent, urina turbida ſedimentum copioſum deponeret, deliria & convulſivi motus ceſſarent, pedem ſiniſtrum acris dolor & eryſipelatoſus tumor prehenderet, febris manifeſte remitteret, & nono tandem die continuato camphoræ & corticis, ejusque nunc cum ſale medio alvum liberalius ducente nupti, uſu penitus ſolveretur, redeunte appetitu, viribus, ſomno. Nervoſam hanc febrim dixeris acutam, ex interruptis moliminibus catarrhalibus rheumaticis, & metaſtatice ad interiores pertes retropulſa materia ortam, in qua certe cortex non minimam curationis partem abſolvebat. Quarto, contingit interdum febrem rheumaticum plerumque remittentem in veram intermittentem tranſire, ita ut dolorum exacerbatio quotidie ſtata hora redeat, eamque ſemper horripilatio, tremor & frigus prægrediatur; in hoc caſu cortex peruvianus maximum fert levamen,

(STOERCK

(STOERCK *Ann. med. II. p.* 121.) uti ſupra vidimus; (*p.* 177.) accidit tamen interdum, ſebris acceſſiones ex corticis uſu quidem brevi ſiſti, dolores vero æque validos continuare, usquedum tandem excretione quadam critica tollantur, uti in ægro quodam vidit STOERCK (*l. c. p.* 128) validiſſimo dolore rheumatico per univerſum corpus vexato, cum febre valde miti, quotidie circa meridiem prægreſſo rigore exacerbata, iterumque ſequente mane intermittente, ita ut æger per tres quatuorve horas ab omni dolore liber fuerit, unde ad uſum corticis peruviani ilico confugiebatur, ex quo quidem exacerbatio vix ulla rediit, & tandem penitus ſuppreſſa fuit, dolores autem nequaquam imminuti ſunt, usque ad duodecimum morbi diem, quo ſudor copioſus, fœtidus, ſubfuſcus erupit, ex quo dolores penitus evanuerunt. Quinto, poſt morbum ſuperatum peculiarem attentionem requirit virium debilitas, functionum omnium præſertim etiam viſcerum chylopoieticorum languor, quæ roborantium uſum requirunt, ne debiliora viſcera generandis novis cruditatibus, & laxiora vaſa novæ ſtagnationi & morbi recidivo anſam præbeant. Hinc CHEYNE tum ad reliquias materiæ morboſæ penitus ex corpore eliminandas, tum ad roborandas debilitatas partes, corticem peruvianum cum æthiope minerali mixtum laudat; (BROOKS *l. c. T. II, p.* 30.) eodem ſcopo

cl,

cl. SCHROEDER corticis peruviani cum ſero lactis, aut aqua ſelterana connubium, (*Diſſ. de arthrit. vaga. p.* 83.) & QUARIN eundem corticem cum lichene islandico & lacte nuptum laudant. (*l. c. p.* 230.)

Caput III.

Uſus corticis peruviani in febribus exanthematicis.

Progredimur nunc ad alterum febrium complicatarum genus, nimirum febres exanthematicas, ut, quo cum fructu cortex etiam in his applicari poſſit, videamus. Conſtat autem, cauſam materialem exanthematum in peculiare plerumque contagio conſiſtere; cum vero contagii ipſius ratio nos penitus lateat, neque a febre ſeparatim cogitari poſſit, ideoque etiam in curatione attendi nequeat; in febribus vero exanthematicis magna ſatis differentia tam phænomenorum quam naturæ ratione deprehendatur, quæ ab ipſo contagio non pendet, quippe quod, pro varia corporis conſtitutione varios edit effectus, hinc uti in febribus cum inflammationibus, catarrhis, rheumatismis junctis, ſic etiam in curatione harum febrium ad febris concomitantis indolem potius attendere, (SELLE *l. c. p.* 145.) atque ſecundum hanc corticis quoque vel utilitatem vel

vel noxam dijudicare oportet. Docet autem experientia; exanthemata febrilia modo febrium inflammatoriarum genium præ ſe ferre, atque curationem his febribus adaptatam iis quoque proficere; modo fomitem ſuum in colluvie vitioſa primarum viarum habere; & eandem, quæ febribus biliofis convenit, curationem, etiam illis adhibendam eſſe; ſæpe enim, uti recte dicit Ill. VAN SWIETEN, (*Comment. T. II. p. 399.*) illud quod pruritus atque exanthemata facit in ventriculo & circa præcordia hæret; atque hoc excuſſo ſtatim evaneſcunt; præſertim etiam, uti ipſum contagium vel miasma exanthematicum ad putredinem vergit, (HOFFMANN *Abhandl. v. den Pocken.*) ſic etiam, quando conditiones, quæ putredini generatim anſam præbent, ſimul coincidunt; febres exanthematicæ omnino facile indolem putridam contrahunt; & ſumma cura huic putredini occurrendum eſt. Quæ ergo ſupra de uſu corticis peruviani in febribus continuis in genere diximus; facile nunc etiam ad febres exanthematicas applicari poterunt.

Quod igitur primo attinet ſumme malignum iſtum exanthematicum morbum, nimirum peſtem, conſtat, peculiare hic adeſſe contagium, quod in nervorum ſyſtema ſuam potiſſimum vim exſerit, ſubitaneam virium debilitatem, languorem, proſtrationem, capitis hebetudinem, do-

lorem, gravitatem, ſtuporem, vertiginem, linguæ flacciditatem, tremorem, balbutiem, materiæ æruginoſæ rejectiones, & ſimilia ſymptomata graviſſime affecti ſyſtemati nervoſi inducit; dein febrem continuam incendit, cum graviſſimis anxietatibus, deliriis, ſoporibus, hæmorrhagiis, petechiis, vibicibus, pulſu languido, inæquali junctam, interdum acutiſſimam & inter primum jam & tertium diem lethalem, niſi bono omine bubones, vel tumores phlogiſtici ſub axillis & inguinibus, oriantur, qui benignæ ſuppurationis ope correptos ſalvos reddunt; vel carbunculi, ſive ſumme phlogiſtici tumores ex exili puſtula cum ardoris ſenſu nati, celerrime progredientes, cutem adipemque elevantes, gangrænoſe depaſcentes, & gangrænoſis ſeparatis ulcera profunda relinquentes, quibus itidem miasmatis depoſiti pars evacuatur. Cum autem nullum hactenus exſtet remedium, quod ſingulari vi polleat, venenum peſtilentiale deſtruendi, patet, non alia ratione diriſſimo huic morbo occurri poſſe, quam remediis, quibus naturæ motus, peſtiferum miasma expellendi, qui utiliſſime verſus cutem per largiorem diaphoreſin & bubonum atque anthracum eruptionem fiunt, prudenter dirigantur atque ſuffulciantur; cum vero ad hoc opus virium vitalium robur, ſolidorum juſta tenſio, humorum meabilitas & moderatus motus requirantur, nimio e contra humorum motu, virium defectu,

cete-

ceterisve cauſis, quæ ſpasmos creant aut fovent, diapnoen cohibent, miasmatis ſalutaris expulſio impediatur, patet, medendi methodum potiſſimum in viribus cordis vel excitandis vel deprimendis, ac juſto humorum per vaſa libera motu verſari; ad febris itaque comitantis indolem atque diverſum genium præcipue reſpiciendum eſſe. Secundum hanc differentiam enim eſt alia ſpecies inflammatoria, in qua calor æqualis, pulſus fortis, ſanguis inflammatorius, & methodus antiphlogiſtica magnum præſtat auxilium, licet eo ſemper reſpiciendum ſit, quod nervi, occulto modo affecti, tantum virium conflictum non permittant, uti in reliquis ſpeciebus inflammatoriis, caute igitur in venæſectione inſtituenda verſandum ſit, ne virium proſtratio inde contrahatur; alia eſt peſtis, in qua ſigna colluviei bilioſæ & diatheſis phlogiſticæ ſimul juncta ſunt, ubi etiam vomitoria ſummam utilitatem præſtant. (CHENOT *Tractat. de peſte. p.* 62. 146. SCHREIBER *Obſerv. de peſtilent. p.* 15.) Eſt alia putrida cum bubonibus & anthracibus nigreſcentibus, & facillime in gangrænam tranſeuntibus; (CHENOT *p.* 64.) alia tandem, in qua contagium tum humores tum nervos ſimul affecit, cum pulſu celeri, contracto, inæquali, debili, vomitubus æruginoſis, atris, deliriis, animi deliquiis, hæmorrhagiis, petechiis, vibicibus, bubonibus & anthracibus nigreſcentibus juncta. Quatenus

tenus igitur cortex peruvianus in febribus putridis bilioſis, ſanguineis, malignis, opem præſtat, eatenus etiam ab ejus uſu in peſte auxilium exſpectandum erit; in ea præſertim ſpecie putrida maligna in qua excitantia, ſtimulantia, calefacientia, aromatica, antiſeptica, roborantia, nervina ſummo cum fructu adhibentur; & attentionem ſummam meretur MORTONI obſervatio, (*de proteiformi febr. contin. gen. p.* 160.) quotquot enim, dicit, ex peſte evaſerunt, utpote mitiore veneno infecti; vel robore ſpirituum vegetiore prædit; quamprimum naturæ ſuæ ſponte vel artis adminiculis bubones, parotides, vel quævis alia victoriæ monumenta de hoſte conſtituere ceperint, ſingulis vel alternis diebus in ſeipſis percipiebant ſymptomatum exacerbationes & remiſſiones, ſtatis horis alternatim ſeſe excipientes; unde facultatem medicam Neapolitanam laudat, quæ, referente BADO, (*Anaſtas. L. I. c.* 29.) etiam corticem peruvianum in peſtis curatione adhibendum juſſit, ſi quidem ad hoc ipſum venenum, quoties mitius eſſe contigerit, delendum & deinceps ad curationem accelerandam, plurimum conferre queat; & miratur HEQUET, (*App. de peſte. c.* 77.) quo malo artis & ægrotantium fato oblivioni relictus fuerit bonorum tam divus fundus cortex, ſub illa peſtis Maſſilienſis feritate; etiam CHENOT (*l. c. p.* 142.) monet, omnino eſſe periclitandum, num cortex aliquid ſingulare

in

in ſe habeat contra miasma peſtiferum, cum tantis laudibus in reſtaurandis nervis, putredine arcenda, & diapnoe ſuppreſſa reſtituenda extollatur; & inchoata ab illo quædam experimenta, quæ perficere temporum iniquitas renuit, ſpem hujus remedii in peſte, ſatis cum mature tum copioſe adhibiti, non mediocrem faciunt. Sic etiam in peſte carbunculacea corticem utiliſſimum invenit SCHREIBER; (HALLER *Epiſt. lat. T. II. p.* 29.) & chirurgus quidam Maſſilienſis largo corticis uſu contra morbum ſævientem ſeſe præmunivit, morbique jamjam ingredientis ſymptomata eodem ſuffocavit. (ARBUTHNOT *v. den Würkungen der Luft auf d. M. C. c.* 7. *§.* 10.)

Sunt autem inprimis variolæ, in quibus corticis peruviani vires ſummo cum fructu adhibuerunt Medici, & quidem vario reſpectu, variis ſub morbi conditionibus, atque temporibus. Et primo quidem, uti omnino optandum eſſet, ut antidotum ſpecificum poſſideremus, quod miasmati varioloſo ſeſe opponere, illudque deſtruere aptum eſſet, & in principio ſtatim imminentem morbum cum omnibus ſuis ſymptomatibus jugularet; neque etiam defuerint clari viri, qui tanto remedio inveniendo inſudarunt, quin talia plus minus efficacia in mercurio, acidis, camphora, moſcho, pice liquida, junipero, ſe de-

texiſſe putarint; ſic etiam fuerunt, qui ipſi corticici vim contra variolas præſervantem attribuerunt; eo nimirum ſub titulo, quod veneno varioloſo vim febrem excitandi demat. Peculiares, dicit cl. HUXHAM, (*l. c. T. II. p.* 126.) quasdam corticis & mercurii præparationes, ut variolarum antidotas, admodum ſalutares eſſe, quidam putaverunt, & nonnulla mihi nota ſunt exempla, quæ, ut iſtis aſſentiar, me pronum reddunt; ſed mihi vix ita ſatisfaciunt, ut easdem ſuadeam vel iis accedam. Summum e contra & certiſſimum ad eradicandas variolas in cortice peruviano quærit auxilium cl. MEDICUS; (*Sammlung v. Beobacht. T. II. p.* 825.) credit nimirum, per ejus uſum mox a morbi initio adhibitum, febrem in ipſo ſuo ortu ſuffocari, atque naturæ vires ita roborari poſſe, ut contagium ex aere in corpus translatum eo citius & perfectius ex corpore eliminet, ſicque imperfecta per puſtulas ſuppurantes criſis evitetur; cum enim tempore epidemiæ varioloſæ admodum malignæ pluribus ægris mox a febris initio modicas corticis doſes propinaverit, obſervavit in hiſce variolas mitiſſimas pauciſſimas erumpere, nulla inſequente febre ſecundaria, aut ſalivatione, aut angina, aut ullo alio malo ſymptomate, ex quibus concluſit, poſſe omnino ope maturioris & largioris corticis uſus febrem hancque ſequentem ſuppurationem cutaneam præcaveri; ideoque ſuadet,

det, ut tempore epidemiæ homines variolis nondum infecti hoc remedio præſervante utantur, vel etiam infantibus inoculatis aliquot poſt inoculationem horis cortex propinetur, per aliquot dein hebdomadas continuandus. Cui conſilio etiam applaudit cl. HIRSCHEL, ſimilibus experimentis edoctus, quantam cortex ad ſuffocandam inſtantem varioloſam febrim vim habeat, quantusque ejus uſus ſit in minuendo variolarum numero; & exemplum affert puellæ nondum variolis correptæ, quæ eo tempore, quo frater variolis ægrotabat, motibus febrilibus, capitis & colli doloribus afficiebatur, quæ inſtantem variolarum morbum minabantur, venæſectione vero, & cortice cum nitro, cremore tartari, & rhabarbaro mixto, adhibitis copioſæ ſedes excitabantur, unde ſtatim febris imminuebatur, tandem ceſſabat, nullis erumpentibus variolis. (*Abhandl. v. den Vorbauungsmitteln. p.* 100.) At non deſunt contraria exempla, quæ priora illa, quatenus nimirnm vim corticis veneni varioloſi antidotam demonſtrent, omnino dubia reddunt. Sic e. g. dum variolæ nobilem quandam familiam infeſtabant, duabus filiis, quæ earum ingreſſum quotidie metuebant, acidum vitriolicum & deinde cortex peruvianus præparandi ſcopo adhibuit cl. TRALLES, una quidem earum mitiſſimas poſtea variolas patiebatur, altera ſumme malignas; (*Vexatiſſimum de inſitione argumentum. p.* 108.)

 &

& cl. DE HAEN exemplum refert juvenis ſcarlatina febre affecti, cui ob morbi malignitatem larga corticis quantitas & durante ipſo morbo & poſt ſuperatum morbum propinabatur, attamen paucis poſt morbum hebdomadibus variolis affectus fuit, ſic ut neque humorum tanta per ſcarlatinam purgatio, nepue diuturnus adeo antiſeptici corticis uſus, neque tandem exactus victus, puerum a variolis iisque valde periculoſis tutum reddere potuerint. (*Rat. med. contin. T. I. p.* 144.) Immo. Ill. ZIMMERMANN in fa_ familia quadam eos infantes, qui cortice uſi fuerant, præ reliquis citius & lethalibus variolis affectos fuiſſe refert. (HIRSCHEL *l. c.*) Ex quibus patet, etiam in cortice peruviano fruſtra hactenus variolarum antidotum quæri.

Licet vero ſcopo antidoto corticis vires nimis debiles ſint, inter remedia tamen præparantia ad reddendum feliciorem morbi decurſum non infimum locum tenet, licet etiam ad hunc ſcopum minime univerſale ſit remedium. In eo enim præparationis ad variolas conſiſtit ſcopus, ut corpus ante variolas, quantum id fieri poteſt, ſaniſſimum reddatur; experientia quippe quotidiana docet, idem varioloſum contagium in una eademque domo, familia aut pago, ſæpius valde differentes variolarum producere ſpecies, in uno diſcretas mitiſſimas, in altero cohærentes graviores,

res, in tertio con uentes peſſimas, adeoque morbi virulentiam non pendere ab ipſius contagii in corpus recepti diverſa natura, quæ ſub omni prophaſi ſemper una eademque eſt, ſed a conſtitutione diverſa corporis, quod illud excipit, miſcet, evolvit. Ut ergo morbum mitiſſimum reddamus, inquirenda ſedulo eſt corporis conditio ante morbum præexiſtens, & qualis forſan adſit morboſa ſive in ſolidis ſive in fluidis diſpoſitio, quæ dictante experientia morbum augere & periculoſiorem reddere poſſit, atque in his removendis omne prophylacticæ curationis momentum conſiſtit. Sic e. g. diſpoſitio ſanguinis inflammatoria diæta & remediis congruis corrigenda eſt, ne nimis vehemens reddatur variolosa febris, variolarum numerus augeatur, nimirum pus generetur, inflammationes internæ generentur; colluvies pituitoſa, bilioſa, verminoſa, ex inteſtinis eliminanda, cum tanta ejus vis ſit ad febrem augendam, putredinem promovendam, ſyſtema nervoſum perturbandum, ſpasmos & congeſtiones, naturæ ſalutaria conamina perturbantes, excitandas; obſtructiones viſcerum reſolvendæ ſunt, quo liber reddatur ſanguinis per corporis vaſa circuitus, eo facilius materiæ varioloſæ ſeparatio & depoſitio fieri poſſit; ſanguinis tenuitas aquoſa, ſcorbutica, vel quævis alia cacochymia corrigenda, ut eo mitius & benignius pus præparetur; nimia ſolidorum rigiditas emol-

lienda, quo minus humoribus impulſis reſiſtant, atque facilius variolarum eruptioni cedant; nimia e contra laxitas & debilitas roborantibus tollenda, ut natura operi ſuo perficiendo par ſit, perfectamque materiæ coctionem & eliminationem præſtet; nimia ſenſibilitas & irritabilitas lenienda, ne nimiæ irritationes & exinde ſpasmi atque irregulares motus oriantur; & ſic porro. Cum vero cortex peruvianus diverſis hiſce indicationibus in diverſis ægris occurrentibus ſimul ſatisfacere nequeat, hinc minime tanquam univerſale remedium præparans haberi poteſt; temere enim ageret, uti recte dicit HUXHAM, (*l. c. p.* 126.) qui corticem & roborantia cardiaca cuidam fibris fortibus & rigidis ac ſanguine denſiore prædito ut prophylacticum aut præparans dare vellet, licet iſta in ſtatu vaſorum debili & laxo ac tenui aquoſo ſanguine magnam utilitatem afferre poſſint. Sic quoque in cacochylia ventrali & viſcerum obſtructione evacuantia & viſceralia potiſſimum indicantur, & cortici omnino præmitti debent.

Quodſi autem ſuſcepto nunc contagio febris continua ingreditur, eam ut plurimum inflammatoriæ indolis eſſe conſtat, atque veram antiphlogiſticam methodum poſtulare; quare optimi medici regimen temperatum, venæſectiones, temperantia, acida commendant, immo ſummus

BOER-

BOERHAAVE a methodo antiphlogiſtica, ſi ab ulla alia, variolarum reſolutionem & febrem varioloſam ſine variolis produci poſſe ſperavit. In aliis & quidem plurimis febris hæc inflammatoria cum colluvie biliofa primarum viarum complicatur; hinc plurimi primo ſub ſtadio ſaporem oris moleſtum, amarum, nauſeam, dolores præcordiorum, lumborum, queruntur, craſſiorem & mollem in linguæ ſuperficie mucum colligunt, vomitibus aut diarrhœis bilioſis levantibus corripiuntur, & optimi medici digeſtiva, laxantia vel ipſa etiam emetica cum methodo antiphlogiſtica combinanda eſſe docent. (SCHROEDER & FELLINGER *Diſſ. de variol. diſtributione ratione febrium cum iis conjunctarum. Gœttingæ.* 1770.) Secundum hanc febris varioloſæ indolem cortex peruvianus hic fruſtra adhiberetur, cum nihil ad orgasmum ſanguinis temperandum, ſpiſſitudinem inflammatoriam humorum ſolvendam, vel diatheſin bilioſam primarum viarum corrigendam, conferat, viresque vitæ in hoc ſtadio minime incitari ſed coerceri potius debeant. Credit quidem cl. MEDICUS (*l. c. p.* 732.) corticem peruvianum, ſi etiam varioloſo contagio penitus deſtruendo par non fuerit, ſaltem in hoc ſtadio exhibitum morbum benigniſſimum redditurum, & variolarum numerum multum imminuturum fore; cum enim in iis, quibus tum demum exhibitus fuerat cortex, ubi variolæ jam propullulaverunt,

verunt, tantum non ſemper mala ſymptomata arcuit, febrem ſecundariam præcavit, cicatrices fœdas prævertit, purpuram diſſipavit, convulſiones ceteraque graviora ſymptomata tulit; eo feliciorem eventum exſpectandum fuiſſe credit, ſi jam a febris initio fuiſſet propinatus; idque exemplo probat peruli, cui mox a febris initio tincturam corticis aquoſam exhibuerat, eo effectu, ut duo tantum puſtulæ erumperent, licet ingens æſtus & pectoris oppreſſiones ceteraque primi ſtadii ſymptomata magnum variolarum numerum prædixerant; hinc ad febrem primam una cum cutanea iſta inflammatione citiſſime tollendam remediorum antiphlogiſticorum cum cortice connubium eximie extollit; etiam HIRSCHEL (*l. c. p.* 98.) laudes corticis in primo ſtadio eruptionis exhibiti ad producendas variolas benignas & paucas deprædicat. At quæ de febribus inflammatoriis ſupra diximus, idem etiam de febre inflammatoria varioloſa valet; nocere nimirum ſemper, niſi peculiares adſint conditiones roborantium uſum expoſcentes, & cum vera critica veneni varioloſi excretio per puſtulas iſtas ſuppurantes contingat, qua natura unice & optime levatur, & qua etiam in mitiſſimo morbo utitur, niſi adeo pauca materies ſit, ut per cutis ſpiracula omnis exhalare poſſit, ad hanc vero criticam excretionem febris iſtam prægrediens omnino neceſſaria ſit, patet eandem non eſſe ſuppri-

primendam, ſed moderandam & intra juſtos limites coercendam, ſi nimios impetus faciat, eandemque certe noxam, quam ab evacuantibus vires naturæ nimis debilitantibus timet cl MEDICUS, a roborantis corticis vires nimium excitantis abuſu pertimeſcendam eſſe.

Annon vero cortici peruviano locus erit, ubi febris varioloſa vera intermittens eſt. Licet enim plerumque ex remittentium genere febris prima variolarum ſit, interdum tamen ſed rariſſime intermittere viſa eſt. Probe vero in hoc caſu inquirendum eſt, an febris ipſa varioloſa ſuis propriis characteribus diſtinguenda intermittat, vel an potius veræ febri varioloſæ intermittens febris ſeſe comitem adjunxerit. In priore enim caſu febris intermittens ab eadem cauſa dependet, quæ alias remittentem febrem producere ſolet, eadem per variolas criſi finitur, neque ergo alia remedia requirit quam ſi remittens eſſet; obſervationes etiam inſtitutæ docuerunt, hanc febrem, ſi etiam manifeſte intermitteret, minime tamen cortici obedire. Sic cl. FREWIN, BATE, FREIND, (*Comment. de febr. VII. & Epiſt. de purg.*) notarunt, febrem rediiſſe non obſtante corticis uſu; & cum illuſtris ille comes maligna periodica febre corripiebatur, diris convulſionibus & deliriis ſtipata, contra quam cortex adhibebatur, febris tamen non ceſſavit,

ſed

ſed erumpebant ſecunda vice variolæ eæque confluentes; ſimiliter uti in alia ægra febre quam intermittentem eſſe credebant correpta non obſtante largiſſimo corticis uſu febris eadem usque ad variolarum eruptionem perſiſtebat; (SARCONE *l. c.* T. *I. p.* 230.) & in nobili illa recens maritata, quæ tertio graviditatis menſe vehemente febre prehendebatur, ob quam, ne abortus inſequeretur, poſt ſecundum ſtatim paroxyſmum cortex præſcribebatur, nihilominus paroxyſmus is multum vehementior redibat, & adhuc audacius exhibito cortice iterum revertebatur, & cum ipſo variolæ diſcretæ, benignæ, commode ſua ſtadia decurreutes; (WESTERHOF *in* DE HAEN *Rat. med.* T. *II. p.* 90.) quæ obſervationes non ſolum corticis ad ſupprimendam febrem varioloſam utique intermittentem inſufficientiam demonſtrant, ſed ſimul etiam ea, quæ de ejus vi variolarum eruptionem præcavendi, modo diximus, egregie confirmant, neque enim in hiſce ægris variolas numero pauciores & benigniores reddere, nedum eruptionem omnino prævertere largiſſimus ejus uſus potuerat.

Ubi autem vera febris intermittens febri varioloſæ comitem ſeſe adjunxit, ſupra vidimus, (*p.* 174) febrem hanc acceſſoriam, cum primarium morbum inde turbari atque graviorem reddi neceſſe ſit, cortice peruviano omnino tolli de-

debere, neque ullam ex ejus uſu reſpectu variolarum ſive eruptionis ſive maturationis extimeſcendam eſſe noxam.

Annon vero graviora quædam ſymptomata in primo ſtadio morbi evenientia, & malignitatem minantia, maturum corticis uſum expoſcunt? Quodſi ſymptomata iſta, utut numero & gravitate terreant, nonniſi a febris vehementia, rapido ſanguinis per vaſa motu, & ad partes nobiliores congeſtione, vel ab irritamento contagii varioloſi proxime evolvendi & ad cutim deponendi, vel colluviei inteſtinalis orgasmum & ſpasmos augentis oriuntur, ſane ne minimum emolumenti ex corticis uſu ſperandum eſſe eluceſcit, ſed ea hic optime juvare remedia, quæ ſanguinis copiam & nimium impetum minuunt, nimiam ejus denſitatem attenuant, ſolida relaxant, vaſa inprimis cutanea ita diſponunt, ut facilius humores admittant, atque ſic veneni varioloſi exitum facilitent, omnia denique irritamenta tollunt, quæ febrim augere, ſpaſticas partium ſtricturas producere, eoque materiæ morboſæ ad externas corporis partes depoſitionem retardare poſſent. Verum quidem eſt, ægros interdum jam in primo morbi ſtadio adeo debilitatos eſſe, ut ob hunc virium languorem cardiaca corticis vis omnino neceſſario adhibenda eſſe videatur. Caveas vero, ne ob debilitatem hanc ſive in viribus

ribus animalibus ſive vitalibus apparentem, ſtatim occultam quandam malignitatem ſuſpiceris, quæ, quamprimum ſeſe oſtendat, corticis peruviani uſum requirat. Uti enim in ceteris ſic etiam in hac febre debilitas quædam occurrit, quæ roborantibus minime tollitur, a virium oppreſſione potius quam vero defectu oriunda; interdum enim, dicit HUXHAM (*l. c. p.* 132. 133.) etiam fortes & plethorici magna ſpirituum dejectione, univerſali debilitate, conjuncta cum pulſu tardo atque ſuppreſſo, in ipſo variolarum acceſſu corripiuntur, quæ medicos minus expertos, num ſanguinem mittere debeant, dubios reddunt, quamquam nihil ægrotos melius juvet; & uti plethora & ſanguinis orgaſmus ſic etiam colluvies putrida primarum viarum ſæpe vires opprimit, & optime ejus expurgatione reficiuntur; aliquando enim, dicit SYDENHAM, (*l. c. p.* 370.) opus eſt, aliquot horas poſt ſanguinis miſſionem emeticum exhibere, quod non ſolum materiam, a qua oritur ægritudo iſta inſolentior, nempe intenſior febris, vomitus exormis, vertigo, artuum dolor, foras expellit, ſed etiam ægrum ita refocillat, ut jam quaſi ſanus lectulo abeſſe queat. Non ergo ad ſymptomatum numerum & gravitatem, ſed potius ad cauſas reſpiciendum eſt, unde illa pendent, ex iisque ſolis corticis uſus ſive neceſſarius ſive noxius determinari debet.

Con-

Contingit vero, quod febris varioloſa jam in primo ſtadio indolem putridam induat; uti enim alias calor vehementior, ſanguinisque motus velocior, ſi diutius perſeverent, craſin humorum invertere atque deſtruere valent, ſic etiam in varioliſ ſive ob peculiarem conſtitutionis epidemicæ genium, ſive ob neglectam methodum antiphlogiſticam, calidorum ſudoriferorum remediorum abuſum, vomicas occultas febris vehementia ruptas, debilitatem ſyſtematis nervoſi ex metu inſtantis morbi, vel morbis gravibus prægreſſis inductam, diatheſin ſcorbuticam, febris iſta inflammatoria in putridam mutatur; quod eo facilius contingit, quo major bilis putridæ copia in inteſtinis contenta eſt; ita ut jam primis morbi diebus petechiæ, maculæ purpureæ, vibices appareant, hæmorrhagiæ ex naribus, ore, renibus, alvo immodicæ contingant, puſtulæ varioloſæ mox poſt eruptionem nigræ, gangrænoſæ, cruentæ appareant; (SYDENHAM *Op. p.* 167. 359. HUXHAM *l. c. T. II. p.* 59. HILLARY *a practical eſſays on the ſmallpox. c.* 9.) Quod ſi vero quid in his deploratis caſibus eſt faciendum id fieri debet, monente HUXHAM (*l. c.*) uſu tempeſtivo corticis peruviani; cum acidis mixti, ſi æſtus nimius & vires naturæ nimis actuoſæ paululum deprimendæ ſint; cum cardiacis alexipharmacis, ſi vires nimis languentes excitandæ; cum lenibus evacuantibus, ſi colluviei

putridæ inteſtinalis magna copia adſit; cum alumine, quod vi ſua ſtiptica ſanguinem quodammodo erigit, & ita ſupprimit, ut ne minimas in arterias perumpere poſſit; quali per corticem, acida, alumen curatione nonnullos ſalvos evaſiſſe vidit MEAD, quibus ſanguinis magna copia per iter urinæ profluxerat, ipſis jam erumpentibus puſtulis ſanguineis, licet quidem hi omnes ſub finem morbi grave aliquid paſſi ſint, furunculos, glandularum tumores, ulcera tonſillarum gangrænoſa. (*Opp. de variol. p.* 37.) Egregie inprimis uſum corticis peruviani in tali febre putrida varioloſa præſertim cum alumine mixti, docet & exemplis probat cl. WALL; ſic enim in viro quodam, cum tertio jam morbi die petechiæ, hæmorrhagia narium, dejectiones cruentæ apparebant, cum pulſu celeri, parvo, exhibito quovis bihorio ſcrupulo uno corticis, juxta ſpiritum vitrioli potui admixtum, intra nyctimeron petechias evaneſcere, ſanguinis fluxum ceſſare, pulſum pleniorem & tardiorem reddi & variolas pulcras optimæ notæ propullulare vidit; eveniente quidem die morbi nono morte ex ſuffocatione; & in ancilla quadam, quam morbus cum adeo vehemente lumbagine aggrediebatur, ut calculum renalem adeſſe crederent, ſecundo vero jam die puſtulis varioloſis innumeris & maculis purpureis nigris erumpentibus, cum angina, profuſa diarrhœa, uteri hæmorrhagia, pulſu

debili

debili celerrimo, ita ut jam moribunda videretur, dato extracto corticis cum alumine magnis doſibus, intra duodecim horas anginam ceſſare, petechias evaneſcere, hæmorhagiam & alvi fluxum ſiſti, variolas pulcram faciem induere vidit, licet quidem ulteriorem remedii continuationem reſpuens die vigeſimo ex febre ſecundaria putrida e vita diſceſſerit; e contra in tribus aliis ægris, in quibus jam primo in ſtadio petechiæ & profuſæ hæmorrhagiæ apparebant, adeo fauſtus erat corticis uſus, ut totum morbum nulla ſuperveniente febre ſecundaria feliciter ſuperarint; quare etiam deinde in omnibus ægris quamprimum vel purpura, vel petechiæ, vel hæmorrhagiæ, putridam ſanguinis diſſolutionem oſtendebant, ſtatim corticem adhibuit. (*Phil. Tranſact. Vol. XLIV. P. 2. p. 583.*)

Non raro etiam febris varioloſa jam ab initio cum febre maligna complicatur, ita ut ægri per quatuor, quinque, & plures dies ſumme languidi, ſtupidi jaceant, cum febre exigua, pulſu debili, frequente, tremulo, facie pallida, urina cruda, tenui, erumpentibus tandem variolis, ſed pallidis, impreſſis, ſeſſilibus, nec bene aſſurgentibus, nec decenter matureſcentibus, ſaniem corrodentem vel lympham aquoſam, vel nullum plane humorem continentibus, nullo apparente faciei vel manuum tumore, vel eodem mox

 iterum

iterum evaneſcente, cute inter variolas pallida, rugoſa, petechiis obſita; nullo poſt eruptionem eveniente levamine, ſed auctis potius ſtupore, ſopore, deliriis tacitis, pectoris oppreſſione, accedentibus motibus convulſivis, tendinum ſubſultu, alvi & urinæ involuntariis profluviis, ſudoribus fœtidis frigidis, morbo tandem ſeptimo vel undecimo die ſuccumbant. In quali peſſimo malignitatis ſtadio quam citiſſime ea adhiberi debent, quæ maximum iſtum virium languorem excitare, fere deletam iſtam fibrarum irritabilitatem & nervorum ſenſibilitatem reſuſcitare, atque lethalem humorum corruptionem præcavere poſſunt; quare ſtatim, ſi quidem nullæ indicationes primarum viarum expurgationem indicent, ad uſum remediorum roborantium, cardiacorum, irritantium, tum externorum tum internorum accedendum, cortex peruvianus pro rerum ſtatu modo cum radice ſerpentariæ, modo cum myrrha, modo cum camphora, vino, modo cum alumine mixtus largiter propinandus eſt, juxta ſinapiſmorum, veſicatoriorum, frictionum, cucurbitularum ſiccarum, uſum; quibus mature adhibitis non raro vires naturæ antea languentes actuoſæ iterum redduntur, ita ut puſtulæ magis eleventur, concocta materia repleantur, cutis lætiorem colorem induat, intumeſcat, petechiæ evaneſcant, diarrhœæ ſymptomaticæ ſiſtantur, & licet tardius felicem tamen exitum

tum

tum morbus ſumat. (VAN SWIETEN *l. c. T. V. p.* 72. HUXHAM *l. c. T. II. p.* 133. AEPLI *v. d. bœsartigen Fieber. p* 250.)

Ex dictis patet, ubinam in primo variolarum ſtadio corticis uſus admittatur, vel vetetur. Neutiquam univerſale eſſe remedium, nocere quamdiu diatheſis inflammatoria, pulſus fortis, plenus, durus, inflammationum internarum ſigna adſint, vel primæ viæ bilioſis putridis humoribus ſcateant, vel ſolidorum rigiditas & ſpaſtica ſtrictura eruptionem retardat; convenire vero, vel in ipſo ſtadio contagii vel in ipſa eruptione, quamprimum vel putredinis vel nervoſæ debilitatis vel utriusque ſimul ſigna appareant. (DE HAEN *Rat. med. T. II. p.* 90. MONRO *Med. Eſſays. Vol. V. p.* 104.)

Quod vero ſecundum ſtadium attinet, in quo nimirum tertio vel quarto morbi die puſtulæ prodeunt, vel diſcretæ & magnæ, vel copioſæ & parvæ aut cohærentes aut confluentes; in diſcretis quidem, cum poſt hanc eruptionem factam ſymptomata ſtatim minuantur, nil opus eſt, quam ut potu copioſo ſubacido humores diluamus, vaſa aperta ſervemus, ut acriores humorum partes e corpore eliminentur, putredo prævertatur, puſtularum ſuppurandarum numerus minuatur. Contingit vero interdum, eruptio-

nem papularum tardius progredi, puſtulas in cute hærere, ſed non ſatis elevari, febrim etiam poſt eruptionem continuare, nec conſuetum ſymptomatum levamen percipi; num hic ſtatim ad cardiaca & roborantia confugiendum ut eruptio acceleretur, an ideo etiam cortex mox adhibendus eſt? reſpiciendum potius eſt ad cauſas, quæ eruptionem retardant; forſan calidum nimis regimen, & remedia nimium calefacientia adhibita ſunt, quæ nimis rapido humorum circulo & nimio calore inducto eruptionem impediunt; natura enim, momente MEAD tranquilla omnia in corpore deſiderat, & turbulentum rerum ſtatum ſemper abhorret, dum veneni ejectionem perfectiſſimam molitur; quid hic cardiaca, quid cortex, cum potius temperantia, diluentia, relaxantia, regimen minus calidum indicentur. Interdum in adultis præſertim vel ſi teneræ fuerint & mobiles in genere nervoſo puellæ puſillanimitas & morbi metus anxietates magnas creat, & ſpiritus ita dejicit, ut variolæ quaſi ſepultæ jaceant, & per duos aut tres dies vix ullo modo eleventur; in hoc caſu hilaris medici vultus, morbi ſecuritatem venuſtæque formæ conſervationem promittens, lene quoddam cardiacum & veſicatoria contractilem vaſorum vim excitantia ſufficient. (VAN SWIETEN *l. c. p.* 83. HUXHAM *l. c. p.* 123.) In aliis vomitus aut diarrhœæ nimiæ adſunt, ſive bilioſæ a ſordium

copia

copia productæ, ſive inanes a nimia ventriculi & inteſtinorum ſpaſtica ſenſibilitate pendentes, atque debilitando & humores a corporis peripheria allicientes variolarum eruptionem impedientes; illæ moderandæ ſunt digeſtivis corrigentibus, demulcentibus; hæ ſiſtendæ ſunt anodynis. Si autem eruptio variolarum retardetur ob febrim nimis languentem, uti in hominibus fibris laxis, debilibus & tenui macroque ſanguine præditis, aut qui paulo antea magnas perpeſſi ſunt evacuationes, contingere ſolet, quibus os eſt pallidum, triſte pulſus debilis, celer, tremulus, ingens ſpirituum dejectio, cum urina pallida, cruda, horror & æſtus alternant, qui parum ſitiunt, neque magno de dolore, ſed de perpetuo potius languore, ventriculi ægritudine, vertigine, ceterisque conqueruntur; quando in hoc lento & langueſcente caſu puſtulæ quidem ratione ordinaria ad conſuetum tempus erumpunt, ſed cum exigua vel nulla elevatione & colore minore in cute quaſi ſepultæ hærent, tunc præter leniora emetica colluviem lentam putridam ventriculi evacuantia atque ſimul perſpirationem & variolarum expulſionem adjuvantia, ea remedia adhibenda erunt, quæ vires excitant, febrim nimis languidam exacuunt, veſicatoria & cataplasmata ſtimulantia, vinum, crocus, camphora, & præſertim quoque cortex peruvianus. (HUXHAM *l. c. p.* 133. STOLL *l. c. T. II. p.* 231.

DE ROSENSTEIN *von den Kinderkrankheiten. p.* 184. BLOCH *Med. Bemerkungen. p.* 193.)

Contingit autem, quod nunc in hoc ſecundo ſtadio, quæ antea defuerant, ſigna putredinis nunc appareant, papulæ varioloſæ quæ antea purpureæ erant, nunc liveſcant, nigreſcant, petechiæ iis immiſceantur, cum ſumma virium proſtratione, hæmorrhagiis profuſis; in hoc putrido ſtatu, qui nunc indies increſcit, methodus vulgaris refrigerans antiphlogiſtica omnino mutari & antiſeptica efficaciſſima adhiberi debent; acida inprimis mineralia, quæ æſtum ſanguinis putredinem foventem & augentem temperant, ipſam putredinem corrigunt; eaque cum cortice peruviano combinata, ſiquidem vires vitales & animales langueant, pulſus fortis in debilem mutatus fuerit, ea ratione propinanda ſunt, qua adhibenda eſſe ſupra diximus, ſi in primo jam ſtadio putredo appareat; horum enim remediorum copioſo uſu ſæpe viſum eſt petechias evanuiſſe, variolas naturali ſuo colore iterum indutas ex cute elevatas, & bono tandem pure repletas fuiſſe; cujus unicum exemplum adducam juvenis, ad quem ſexto demum morbi die vocabatur WALL (*l. c.*) variolis apparentibus confluentibus, inſtar ſquamarum ſanguinearum totum corpus obſidentibus, cum perpetuo delirio, pulſu debili, tremulo, celerrimo, ubi tamen ſufficiente quanti-

tate

tate ſpiritus vitrioli potui admixti, & extracto corticis peruviani largiter propinato, mox variolæ purpureæ evaneſcebant, variolæ attolebantur, & ſtadia ſua adeo feliciter percurrebat morbus, quaſi variolæ diſcretæ eſſent, neque etiam ulla inſequente febre ſecundaria; uti etiam in alia quæ confluentibus variolis laborabat, una cum petechiis, vibicibus, enormi uteri hæmorrhagia & ſumma debilitate, cortex peruvianus cum alumine mixtus intra paucos dies ſymptomata tollebat; quam corticis & acidorum efficaciam pluribus quoque exemplis apud HUXHAM, (*l. c.*) MEAD (*l. c.*) VOGEL (*l. c. p.* 90.) aliosque abunde confirmatam legimus. Si vero forſan angina deglutionem difficilem reddat, aut æger medicamenta ore aſſumenda reſpuat, eodem cum ſucceſſu clyſteres chinati injici poterunt; ſic ZELLER in puero quinquenni, cujus cutis gangrænoſis variolis undique obſita erat, clyſteres ex cortice peruviano & floribus chamomillæ paratos eo cum effectu adhibuit, ut ſequente die niger variolarum color evaneſceret, & deglutitio difficilis antea libera redderetur, atque nunc internus extracti corticis uſus cum acidis mineralibus continuari, ſicque morbus ad feliciſſimum finem duci poſſet. (GESSNER *l. c. T. III. p.* 241.)

Quod tertium vero ſtadium, nimirum ſuppurationis attinet, in quo incepta puſtularum muturatio perficitur, puſtulæ inflammatæ flavo

pure replentur, ſæpe quidem, ſi variolæ diſcretæ ſint & benignæ, nullo medicamento indigent ægri, & febris maturatoria hujus ſtadii ea ratione curanda eſt, qua eandem febrem cujuscunque alterius inflammati & proxime ſuppurandi tumoris ſocium curamus, & ſi forſan ab initio undecimi diei, quo abſoluta eſt maturatio, & pus excoctum, febrim maturatoriam tertia illa excipit purulenta, quam pus ex puſtulis reſorptum & ſanguinem oberrans concitat, etiam hæc purulenta febris non differt ab illa, quam quiscunque purulentus fomes intra ſanguinem receptus accendit, ſi pars quædam corporis pus habet; nihilque agendum eſt, niſi ut omnes illæ viæ expediantur, quibus pus efferri extra corpus ſolet, maxime venter & renes, abſceſſulorum perſciſſione, purgantibus ſalinis mannatis, potu multo, emolliente, acidiuſculo, frigido; & ſi labaſcant vires ex pure nimium formato, ac tabeſcere inde æger incipiat, corroborantibus utendum, & antiſepticis, cortice peruviano, iisque omnibus remediis, quæ quocunque alio in caſu tabificas febres a pure natas coercent. (STOLL *l. c. T. II. p.* 233.)

Pejora vero mala atque periculoſiora eveniunt, ſi uti in confluentibus putridis malignis contingit, loco boni puris acris & putrida ſanies ſub varioloſa cruſta colligitur, tota facies nigro quaſi corio obducitur, cujus fruſtulis ſeceden-

dentibus eroſa cutis liquidum fœtidum plorat, quod brevi ſpiſſeſcens novam cruſtam format, ſub qua profundius repens putridus ichor partes ſubjacentes erodit, immo reſorbtus & per totam maſſam diſſeminatus graviſſimam putridam febrim incendit. In hoc graviſſimo ſtatu eo redit curationis momentum, ut perpetua emollientium applicatione, continua puſtularum & cruſtarum perſciſſione, facilis puri exitus concilietur, copioſo potu colluvies putrida diluatur, mitigetur, mitioribus purgantibus ex corpore eliminetur, regimine frigido, ſedula aeris renovatione, victu congruo, atque remediis antiſepticis efficaciſſimis putredo per ſanguinem diſperſa corrigatur; clysmatibus, fotibus emollientibus, ſinapiſmis ad extrema applicatis purulentæ putridæ materiæ ad internas nobiliores partes metaſtaſes prævertantur. Summas hic laudes merentur acida, præſertim mineralia non ad drachmas ſed ad uncias potui admixta, quippe quæ putredini efficaciſſime reſiſtunt, humores nimis diſſolutos cogunt, febris impetum coercent, vires naturæ nimis actuoſas ad juſtum gradum deprimunt. An vero hic etiam locus cortici, ſive ad febrem ſuppuratoriam coercendam, ſive ad putredinem humorum gangrænoſam corrigendam? MORTON certe (*Oper. T. III. p.* 185.) cum vim antiſepticam corticis non noſſet, corticem tantum dedit, ubi in febre ſub initium ſuppurationis orta, exacerbationes & re-

remiſſiones quotidie recurrentes obſervabat, tunc eum tempore remiſſionis adhibuit, & vidit duorum vel trium dierum ſpatio, febre penitus exantlata, variolas citiſſime fere benignarum more maturari; etiam Wratislavienſes medici olim corticem conceſſerunt, quando hæc febris ſuppuratoria ultra tempus protrahitur, & intermiſſioni locum dat, qua ipſa incidente exhiberi juſſerunt. (*Hiſt. morb. Wratislav.* Edit. HALL. *p.* 285.) MEAD vero (*de Variolis. p.* 69.) non ſolum ubi febris manifeſte remittebat vel intermittebat, ſed præſertim in variolis ſanguineis putridis corticem laudavit; easdem cortici laudes tribuit HUXHAM (*l. c. T. II. p.* 142.) ubi enim, dicit, petechiæ copioſæ, & variolæ admodum nigræ, parvæ & confluentes, immo interdum cum hæmorrhagiis conjunctæ ſunt, acidis mineralibus, alexipharmacis adſtringentibus, & medicamentis ex cortice peruviano paratis res geſtæ ſunt maximæ; præſertim vero MONRO (*l. c.*) & WALL (*l. c.*) per diverſa capta experimenta probarunt oſtenderuntque, corticem, uti in gangræna & ſphacelo, ſic etiam in variolis putridis ſpecificum eſſe remedium; & ill. A ROSENSTEIN in variolis putridis malignis ſæpe quæcunque alia remedia inertia eſſe, corticem vero peruvianum rite adhibitum miracula præſtare afferit. (*l. c. p.* 157.) Summo cum effectu ill. DE STOERCK, quoties puſtulæ in medio conciderant, & fuſcam reclu-

recluſerant materiam, cutis interpoſita hinc inde ſublivida aut purpurea, & pulſus valde debilis fuerit cum alterno membrorum frigore & calore, illico extractum corticis cum acidis mineralibus ſummo cum effectu propinavit; (*Ann. med. II. p.* 159.) & cl. VOGEL, ubi nigræ puſtulæ appareant, aut ſimiles maculæ puſtulis intermixtæ ſint, corticem peruvianum cum alumine mixtum palmam omnibus reliquis remediis præripere contendit; (*l. c. p.* 90.) etiam QUARIN (*Meth. med. febr. p* 97.) in variolis putridis, ſi ægri vires labantur, fæces admodum fœteant, neque variolæ bono pure repleantur, vel ſi mictus cruentus accedat, ad extractum vel decoctum corticis juxta acidorum mineralium uſum, ſtatim confugiendum eſſe docet. Similiter BROCKLESBY (*l. c. p.* 240.) ubi variolæ confluunt, facies, labia & nares nigreſcente cruſta obducuntur, rejectis purgantibus, nullam ſpem eſſe relictam contendit, quam ex cortice peruviano; ut ſummorum virorum, ill. DE HAEN (*l. c. T. II. p.* 89.) BAYLY (*Phil. Transact. Vol. XLVII. p.* 27.) PLENCIZ (*Op. Med. Phyſ. T. III. p.* 212.) ZELLER (*l. c.*) BLOCH (*l. c. p.* 193.) aliorumque teſtimonia ſilentio prætercam. Interim minime promiſcue etiam in ſuppurationis ſtadio variolarum putridarum cortex adhiberi debet; quamdiu enim ſatis bonus virium vigor adeſt, major calor, pulſus plenus, ſubdurus obſervatur,

teraque ſigna nimiam virium actuoſitatem potius quam debilitatem, admixtam adhuc diatheſin phlogiſticam, vel magnam bilis putridæ in inteſtinis contentæ copiam oſtendant, tamdiu omnia ſtimulantia imo ipſo cortex nocuus obſervatur, (QUARIN *l. c. p.* 97. TISSOT *Opuſc. T. II. p.* 124.) & acida mineralia, purgantia omnibus aliis remediis præferenda ſunt; quando autem ſolida torpent, pulſus debilis, urina pallida, ſopor, ſtupor, circulationem langueſcere & vires vitæ deficere docent, tunc, ſicuti acida & purgantia nocerent, cortex peruvianus, camphora, ſerpentaria, vinum, veſicatoria ſumme proſunt. Suadent quidam, dicit ill. TISSOT, corticem peruvianum, quem ſuis laudibus in variolis fraudari nolim; ſed fateor, in febre ſecundaria graviori poſt morbum vere inflammatorium nondum adhibui, quia nunquam vidi tuto adhiberi poſſe; & in mictu ſanguineo caute adhiberi vellem; impar ſane videtur explendis indicationibus febris ſecundariæ, nonnullis adverſatur, ſed multum prodeſt, uti in malignis febribus, ſic in malignis iſtis variolis, quæ laxas fibras, ſolutum putridumque ſanguinem, ſummam debilitatem exhibent, & gangrænam continuo minantur ex vappido putridoque ſanguine. (*Epiſt. ad* HALL. *in Opuſc. T. II. p.* 122.) Cavendum etiam eſt, ne cortex propinetur, quando ſpirandi difficultas, alvus ſtipata, abdomen durum & tumidum

ap-

apparent; (HUXHAM *l. c. p.* 143.) quosdam enim, quibus pectus magna humorum copia obrutum erat, poſt minimam corticis doſin fere ſuffocatos vidit MONRO. (*l. c. p.* 118.)

Præcipuus etiam uſus erit corticis peruviani in iſtis variolis, quæ cum febre lenta nervoſa junctæ ſunt, cryſtallinis, lymphaticis, quæ nimirum tum tardius erumpunt, tum non matureſcunt, ſed merum aqueum ichorem continent, interdum plurimis in locis confluunt & admodum largas effingunt veſicas, quæ denique diſruptæ omnia corrodunt, & totum ægrum exulcerant, cujus tenuis crudæque materiæ magna pars ſæpius iterum abſorpta ad ſanguinem perfertur, & puſtulas flaccidas ſiliquoſas relinquit, & niſi diarrhœa moderata aut urina copioſa aut largo ſudore ea ex ſanguine mox iterum auferatur, convulſiones, febres peripneumonicas, deliria, dyſenterias, ſyncopes lethales producit; in his variolis lymphaticis tincturam corticis alexipharmacam magnis laudibus deprædicat HUXHAM, (*l. c. p.* 143.) eamque mox poſt plenariam eruptionem dandam eſſe docet, ut tantum, quantum fieri poteſt, aliquis muturationis gradus promoveatur, non neglectis aliis in puſtulis elevandis & materia concoquenda ſalutaribus reme-

remediis, contrajerva, myrrha, moſcho, croco, camphora, veſicatoriis.

Quod tandem quartum variolarum ſtadium attinet, in quo nunc puſtulæ varioloſæ maturitatem conſecutæ flaveſcunt, rumpuntur & in cruſtas ſiccas abeunt, quæ tandem decidentes areolas ſubrubras in cute relinquunt; hoc quidem ſtadium in benignis admodum leve eſt, nullisque remediis opus eſt; in confluentibus vero febris ſecundaria interdum in hoc usque ſtadium protrahitur, & continuatum acidorum, purgantium, vel ubi putredo humorum & virium debilitas adhuc urgent, corticis peruviani uſum requirunt, usque dum febris ſenſim mitior reddita fuerit, atque tandam penitus evaneſcat. Poſt peractam vero exſiccationem optimi Medici repetita purgantia adhibenda eſſe docent, ut materia putrida in corpore relicta eliminetur; purgato vero corpore roborantia & nutrientia conſtitutioni ægri accomodata non negligenda ſunt; & recte methodum quorundam redarguit cl. BROCKLESBY, (*l. c. p.* 241.) qui repetitis ultra modum purgantibus ægrorum vires prægreſſo morbo ſumme debilitatas adhuc magis exhauriunt, unde ſalutaria naturæ conamina, quæ ad exterminandas morbi reliquias molitur, pervertantur, atque ad graviſſimos chronicos morbos via ſternatur; unde potius diætam analepticam & tenui-

tenuiora corticis peruviani decocta poſt morbum ſuperatum per aliquod temporis ſpatium ad perfectam usque ægri reſtitutionem adhibenda eſſe ſuadet.

Tandem variolis non ſolum malignis ſed aliquando etiam benignis interdum ſuperveniunt furunculi, non tantum moleſti ſed ſæpe etiam periculoſi, qui difficulter ad conſolidationem perducuntur, plerumque cum ulceribus malignis conjunguntur, & ad ipſum interdum perioſtium penetrantes, oſſium tœdioſam cariem inducunt; in hiſce ex ſolis diluentibus, ſanguinem depurantibus, purgantibus remediis, difficulter aliquid ſperandum eſt, niſi ipſis cortex peruvianus jungatur. Sic in juvene quodam, qui variolas malignas feliciter ſuperaverat, die vigeſima tubercula in dorſo, clunibus, & hinc inde in reliquo corpore ſuperveniebant, quæ dolebant, ardebant, & nychthimeri ſpatio ſuppurabantur, & plus minus materiæ purulentæ fundebant, vix autem conſolidatis his alia ſuperveniebant, quæ magis dolebant, & majorem febrem conjunctam habebant, quorum multa in fœdiſſima & maligna ulcera ad oſſa usque ſubſtantiam carneam exedentia degenerabant, interea æger febre lenta, doloribus, inquietudinibus confectus & ad incitas redactus videbatur, neque toto hujus morbi tempore copioſa di-

 lucn-

luentia, dulcificantia, lactis ſerum, ſucci antiſcorbutici, lenia per epicraſin purgantia, & ſimilia, quæ tam ſebri quam acrimoniæ temperandæ dicata eſſent, remedia, aliquid proficiebant, usque dum ad corticem confugiebant, cujus drachmas ſex quotidie aſſumebat æger, exinde enim non tantum recentium furunculorum propululatio, ſed & ulcerum malignorum ulterior progreſſus, impediebatur, hæc facilius ad conſolidationem, & æger tandem ad priſtinam ſanitatem perducebatur. (PLENCIZ *l. c. p.* 260.) Sic etiam TISSOT (*l. c*) corticem contra febrem illam lentam & ulcera, quæ aut graviſſimas, aut male curatas, aut malignas variolas excipiunt, laudat, & in puero duodecennali, cui poſt ſæviſſimum morbum pars maxillæ inferioris carioſa excidiſſet, curam pulcre terminaſſe vidit, minoribus ſed frequentibus doſibus adhibitum, lacte ſimul vaccino inſtar alimenti cochleatim ſorbillato; ſicuti etiam in infante ex variolis tumore purulento & carie articuli cubiti utriusque, femoris contractura, diarrhœa, aſthmate, motibus convulſivis graviſſime vexato, poſt tumorum inciſionem & fœdiſſimi puris exitum, ope corticis cum rhabarbaro mixti cariem tolli, ulcera ſanari, pedum contracturam ſolvi, & perfectam demum ſanitatem brevi redire vidit GESSNER (*l. c. T. III. p.* 238.)

Quod

Quod ad Morbillos pertinet, hi itidem a materia quadam contagioſa intra corpus ſuſcepta atque tenuiſſimis ſeroſis humoribus nidulante, partibus quibus incumbit inflammatorium ruborem & ardorem inducente, originem ducere conſtat, ſæpe admodum benignas eſſe, neque periculoſis ſymptomatibus ſtipari, & adhibito regimine congruo, medicamentis temperantibus, emollientibus, demulcentibus brevi ac feliciter curari. Interdum tamen etiam iſte morbus abnormis, pertinax atque malignus redditur, quod quidem plerumque dependet a febrium pro conſtitutionis epidemicæ diverſitate variarum complicatione. Recte enim annotat cl. STOLL (*l. c. T. II. p. 262.*) morbillos, ſemper & ubique eosdem, perraro ſolos eſſe, ſed plerumque adſciſcere ſibi commilitonem popularem morbum, eumque alium atque alium, prout alia fuerit anni tempeſtas; & ridiculam hinc eorum praxin eſſe, qui morbillos aut ſemper emeticis tentandos ſtatuunt, aut ea præſidia, magna licet, & unica perſæpe, ex medicina morbilloſa penitus proſcribunt; & nihil crepant præter antiphlogiſticam methodum; ſic enim ubi hyeme ſicca, vel veris initio morbilli graſſantur, cum eo tempore diatheſis inflammatoria dominatum exerceat, facilis eſt morbillorum cum inflammatione conjunctio, inde ſanguis cum emolumento, & iterato, & quovis morbi tempore detrahitur, magnaque re-

mediorum antiphlogiſticorum emollientium utilitas eſt. (DE ROSENSTEIN *l. c. p.* 222. QUARIN *l. c. p.* 103. STOLL *l. c. p.* 253.) Interdum vero morbilloſa febris vere bilioſa eſt, ubi ægri primo in ſtadio frequenter vomunt vel purgantur, cum lingua impura, oris amaritie, vertigine, capitis doloribus, cæteriſque ſordium bilioſarum ſignis, ubi poſt eruptionem contingens forſan copioſæ bilis vomitus febrim atque graviſſima ſymptomata multo magis levat, quam ipſa eruptio; ipſa emetica, emeto-cathartica ſummæ utilitatis ſunt, calorem minuunt, reſpirationem liberiorem reddunt, eruptionem promovent, morbillos rubore magis perfundunt. (HOFFMANN *Med. rat. ſyſt. T. IV.* TISSOT *Avis au peuple. p.* 252. QUARIN *l. c. p.* 105. STOLL *l. c.*) Nonnunquam nervorum infirmitas, nimiſque languidus febris genius obſervatur, ubi venæſectiones, refrigerantia nocent, macularum eruptionem magis retardant, quæ leniter diaphoreticis, calidiore regimine, veſicatoriis, camphora promovenda; (HOFFMANN *l. c.* MORTON *exercit. III. C.* 21. QUARIN *l. c.*) non raro etiam indolem putridam atque ad gangrænam pronam cum febre morbilloſa junctam obſervarunt, ubi exanthemata facile liveſcunt, diarrhœæ profuſæ, ſanguinis ſputa ſpumoſa atque ſincera, ſumma præcordiorum anxietas, deliria, peripneumonia ſuffocans, faucium & oris gan-

græ-

græna, maxillæ & vomeris caries accedunt, & ægri miſere moriuntur, niſi efficaciſſimis antiſepticis mature obviam eatur. (HUXHAM *l. c. T. I. p.* 216. 277. 319.) Atque ſecundum hanc morbilloſæ febris varietatem iterum facile patet, quinam corticis in ea uſus eſſe poſſit. Licet nimirum ob eundem hujus febris varium genium corticem minime tanquam univerſale remedium adhibendum eſſe credamus, quo morbus in ipſo ſuo ortu ſuffocari facile poſſit, uti quidam voluerant, (MEDICUS *l. c. p.* 836.) omnino tamen in malignis, putridis, ubicunque ex vera partium laxitate, virium debilitate, eruptio retardatur, vel commixta humorum putredine cum virium vitalium defectu morbus anomalus redditur, omnium maxime cortex laudandus erit. (MORTON *Oper. T. III. p.* 28. VOGEL *l. c. p.* 98 CAMER *in Gentl. Mag. Dec.* 1751.) Ubi enim derepente recedunt puſtulæ ex virium defectu, vel maculæ lividæ aut plumbeæ evadunt, ſtatim ad cardiaca idonea confugiendum eſt; (HUXHAM *l. c. p.* 277.) qualem epidemiam ſumme malignam deſcripſit WATSON (*Med. Obſ. and Inquir. Vol. IV. p.* 112.), in qua morbus cum ophthalmia feroſa, tuſſi ſicca & magna virium proſtratione invadebat, ſequente febre valida & erumpentibus ſecundo jam die in univerſo corpore maculis morbilloſis, poſt quam eruptionem febris augebatur, reſpiratio difficilli-

ma, fauces obſcure rubræ ſiccæ reddebantur, usque ad quartum morbi diem, quo febris nunc quidem minui & maculæ evaneſcere videbantur, difficultas vero reſpirationis continuo increſcebat, cum tuſſi continua, moleſtiſſima pectoris oppreſſione, pulſu debili, inæquali, accedente diarrhœa profuſa, dyſenteria, gangrænoſa faucium, membrorum, pudendorum corruptione, vel lethali ex peripneumonia ſuffocatione; quæ quidem maligna epidemia diverſam omnino a vulgari requirebat medendi methodum; licet enim, quamdiu in primo ſtadio inflammatorium genium præ ſe ferebat morbus, temperantia, antiphlogiſtica, venæſectiones permitteret immo expoſceret, eadem tamen remedia, accedente ſtadio putrido nocebant, & debilitatem augendo putredinem promovebant, cum e contrario cardiaca antiſeptica ſummi erant emolumenti, præſertim etiam cortex peruvianus maximum præſtiterat uſum, modo tuſſis & difficultas reſpirationis nondum ad ſummum gradum auctæ fuerint, in hoc enim caſu pectus adhuc magis gravabat, atque ſuffocativam fere reddebat reſpirationem, ita ut ab ejus uſu abſtinere, & radicem ſerpentariæ viribus quidem longe inferiorem ipſi ſubſtituere neceſſe erat.

Interdum vero febre finita & maculis jamjam evanidis, tuſſis moleſta adhuc pergit, in habi-

habitum degenerat, atque febrem hecticam & tabem adſciſcit; quo in ſymptomate tollendo præcipue quidem iterum ad cauſarum complicationem attendendum eſt; ſi ægri habitus repletioris ſint, parvæ venæſectiones ſæpius repetitæ proſunt; ſi ſtricti admodum temperamenti, ſerum lactis convenit; (QUARIN *l. c. p.* 107.) ſæpe etiam repetitæ purgationes infantes fere conſumtos reſtituerunt. (WEICKARD *l. c. p.* 8.) Si vero ægri exhauſti ſint, lac cum aquis ſelteranis, cortex cum opiatis combinatus, (MORTON *l. c.* TRALLES *de Opio S. II. p.* 151.) & ubi ſputa purulenta, decoctum ex cortice peruviano & lichene islandico lacte miſtum pulcros ſæpe effectus præſtiterunt. (QMARIN *l. c. p.* 107.) Sic etiam diarrhœæ colliquativæ iſtæ, contumaces, poſt morbum relictæ, ægros ſumme emaciantes, minime purgantibus, uti recte dehortatur MORTON, ſed cortice peruviano cum opio & rhabarbaro toſto, vel caſcarilla juncto tolli debent; (*l. c. p.* 39.) ſimiliter uti etiam hæmorrhagiæ ex ſanguinis diſſolutione poſt morbum interdum contingentes, eodem cortice optime tolluntur; uti in puero vidit JOERDENS (*A. N. C. Vol. VII. obſ.* 10.) qui tertia poſt ſuperatum morbum hebdomada absque manifeſta cauſa maculis ſanguineis in omni corporis ſuperficie erumpentibus, gingivarum cruentatione, hæmorrhagia narium & vomitu cruento adeo profuſis corripiebatur, ut

vires omnes prorſus exhauſtæ viderentur, cortice tamen peruviano cum caſcarilla & laudano juncto ſervatus fuit.

Progredimur ad Scarlatinam, quæ quidem ſæpe adeo benigna eſt, ut adhibita ſolum diluente ac modice refrigerante methodo facile ſine moleſtia aut periculo ſanetur, & cenſente SYDENHAMO (*l. c. S. VI. C. 2.*) morbi nomen vix mereatur. Interdum vero etiam gravis periculoſa maligna occurrit epidemica ſcarlatina, cum ingenti proſtratione virium & appetitus, vomitibus, diarrhœa, doloribus capitis, febre & ſiti magna, inquietudinibus, anxietatibus, vigiliis, deliriis, ſoporibus, faucium dolore, tumore, rubore, reſpiratione & deglutitione difficillima, pulſu parvo & celeri juncta, cito lethalis. Neque vero iterum gravioris hujus morbi gradus eadem eſt ratio, ſed ſimilis etiam in hoc reſpectu febris comitantis occurrit complicatio; uti in cæteris exanthematicis. Modo enim diatheſis inflammatoria ita urget, ut niſi ſtatim ſub initium morbi hanc præ omnibus aliis reſpiciamus, facile ſtaſis inflammatoria cerebrum, fauces, aliasque nobiles partes occupet, & breviſſimo tempore inflammatione affectæ partes in gangrænam mortemque terminentur, ubi illico exuberans humorum quantitas, & ad partes affectas impetus

ve-

venæſectionibus repetitis minui, ſanguis nimis ſpiſſus liquidis diluentibus antiphlogiſticis meabilis & fluxilis reddi, epiſpaſticis, veſicantibus a partibus nobilioribus revelli & derivari debet. (PLENCIZ *Op. T. III. p.* 91.) Modo autem appetitus proſtratus, nauſea, conatus vomendi, vomitusque biliofi, variis cum ſymptomatibus capitis ita urgent, ut de bile in primas vias effuſa nullo modo dubitandum ſit, & pro bilis abundantia, acrimonia, etiam eo graviora & perniculoſiora ſymptomata, prudenti evacuantium applicatione præcipue tollenda appareant. (DE ROSENSTEIN *l. c. p.* 419. PLENCIZ *l. c. p.* 163.) Aliæ occurrunt, in quibus eruptio lenta, color macularum purpureus vel lividus, angina maligna, humores potius diſſolutos, putridos indicant, in quibus venæſectio & methodus antiphlogiſtica exulare, alia vero remedia, incraſſantia, auſtera, acida mineralia præſtitui debent. (PLENCIZ *l. c. p.* 95.) Atque in hac putrida angina iterum in cortice optimum habemus antiſepticum. Licet etiam hic probe inquirendum ſit, an iſta malignitas & putredo potius a bile putrida circa præcordia ſtagnante oriantur, & evacuantibus præſertim indigeant; qualem epidemiam obſervavit NAVIER, cum febre vehementi, animi deliquiis, virium proſtratione, reſpiratione difficili ſingultuoſa, deliriis, pulſu parvo & frequente, lingua valde ſicca, urina ſanguinolenta, meteo-

teoriſmo, maculis violaceis, angina gangrænoſa ſtipatam, in qua purgantia maxime proficua erant, cardiaca vero morbum deteriorem reddebant. (*Diſſertation ſur pluſieurs Maladies populaires. Paris.* 1753. *p.* 208. *ſqq.*) Si vero putredinis cauſa non in primis viis jaceat, vel evacuationes ſufficientes prægreſſæ fuerint, vires vero vitæ admodum langueant, tunc univerſale illud antiſepticum egregie opem feret, acrimoniam illam ſepticam temperabit, illiusque ulteriorem multiplicationem impediet, (PLENCIZ *l. c. p.* 102.) præſertim ſi febris ſpeciem remittentis cum exacerbationibus & remiſſionibus quotidie ſtata hora alternatim ſeſe incipientibus induit, (MORTON *l. c. p.* 45. *ad* 54.) atque incipientis partium inflammatarum gangrænæ vel minima indicia adſint; (DE HAEN *Rat. med. cont. T. I. P. I p.* 95. *ſqq.*) largis vero doſibus ſi aliquo in morbo in hoc ſaltem opus eſt; in morbi malitia minore quidem uncia media pulveris, quotidie ſumta, diuque continuata, curam abſolvit, in maligniore vero pravitate ejus determinari non poteſt quantitas, ſed vel non dandus eſt, vel liberali manu donec juvit; (DE HAEN *l. c. p.* 136.) cum eo vero etiam reliqua coindicata remedia ſedulo adhibenda ſunt; & quidem, calore & ſiti admodum urgente, acida mineralia ad gratam aciditatem addi poſſunt; pulſus vero parvus, celer, deliria, tremores,

veſi-

veſicantia, camphoram, ſpiritum cornu cervi, moſchum petunt; (QUARIN *l. c. p.* 117.) faucium & pulmonum inflammatio injectiones, vapores, cataplasmata emollientia veſicatoria; (MORTON *l. c. hiſt.* 6.) diarrhœa nimia, tuſſis ſicca, moleſta, paregoricorum, opiatorum cum cortice miſcelam expoſcunt. (MORTON *l. c. hiſt.* 9. 10.) Cum vero corticem in ſubſtantia ob inflammatas plerumque fauces non facile ferant ægri, ejus decoctum præferendum, idque cum ſyrupo quodam gratificatum; ſi vero ægri, præcipue infantes corticem per os aſſumtum omnino deglutire non poſſint, poterit ex cortice & aliis ſpeciebus emollientibus ſaturatum decoctum conſici & exinde clysma ſæpius injici. (PLENCIZ *l. c. p.* 105. QUARIN *l. c.*)

Non raro vero ægri, dum omnia morbi pericula ſuperaſſe & integre reſtituti videntur, ex leviſſimis in diæta commiſſis erroribus, præſertim ſi temporius libero ſe expoſuerint aeri, poſt duas aut tres ſeptimanas iterum languidi, debiles, moroſi fiunt, inſequente univerſi corporis leucophlegmatico tumore; qui ſi non aptis cedat remediis, ſero ad nobiliores partes translato, ægros ſopore, convulſionibus, apoplexia, aut ſuffocatione necat; diuretica & purgantia ſimul antiphlogiſtica, clysmata, egregie hic effectus eſſe, communis medicorum eſt ſententia; recte vero docet

docet ill. DE HAEN (*l. c. p.* 146.) hiſce remediis peruviæ corticem intermiſcendum eſſe, iis præſertim præſtantiſſimum, quos alvo facit liberales; & hydropem aſcitem eo evacuatum hoc modo vidit, licet non raro malum omni remedio majus eſſe confiteatur.

Sequuntur miliaria, de quibus equidem verum eſt, ea frequentiſſime pure artificialia eſſe, atque perverſæ curationi, inprimis juſto calidiori regimini ac medelæ in febribus adhibitæ deberi. Interim etiam conſtat, ſæpe miliaria moderato ſub aeris regimine, datis antiphlogiſticis, evitatis ſtimulantibus ex ipſa epidemica conſtitutione prodire, ita ut fere omnes febre epidemica decumbentes, quocunque diverſo modo tractentur, hæc exanthemata habeant, modo ſymptomatica, febris & ſymptomatum vehementiæ ne minimum detrahentia, modo vere critica, cum ſignis coctionis apparentia & morbum maxime levantia. Non alia vero miliaribus cura eſt, quam cæteris febribus, quæ ſine his terminantur, ſed potiſſimum & ſemper ad febris comitantis genium ac naturam reſpiciendum eſt; neque minus errant, qui ob ſuſpectam quandam malignitatem in cortice peruviano vim ſpecificam contra miliaria quærunt, quod expulſionem exanthematum ſumma cum ægrorum euphoria promoveat, ſuſtineat, maturet, perficiat, quam illi, qui cum in milia-

ribus

ribus odor vapidi aceti notetur, abſorbentia unice exhibent, acidorum uſum ſtrenue interdicentes, vel qui exanthemata regimine calido, & medicamentis ſtimulantibus extorquere, vel contraria adhibita medela eorum eruptionem omni vi arcere moliuntur; cum neque hæ neque iſtæ methodi cuisvis, epidemiæ quam comitatur, vel cuisvis individuo, quod occupat ſymptoma iſtud, quadrent. Obſervamus igitur, ſæpe miliaria diatheſin inflammatoriam ſanguinis pro cauſa agnoſcere, rheumatiſmos vel anginas inflammatorias comitari, ex inflammatione partium ſenſilium, uteri, inteſtinorum, partium nervoſarum aliarum, læſionibus inprimis frequenter occurrere, ubi morbi exanthemata concomitantis curatio antiphlogiſtica iisdem miliaribus quoque par eſt, in quibus ingens calor, dolor capitis, rubor faciei, pulſus durities & plenitudo cum virium robore, ſanguinis emiſſi cruſta inflammatoria, temperantium, diluentium, acidorum, venæſectionum, uſum omnino admittunt, immo jubent. (DE RAEN *Rat. med. P. I. p.* 54. *P. V. p.* 4. ALLIONI *de mil. nat. p.* 44. DE SCHULZENHEIM *Preisſchrift. v. Frieſel. p.* 14. QUARIN *l. c. p.* 81.) Longe ſæpius vero febris miliaris a materia generatur pituitoſa bilioſa, cum intra vias primas collecta, tum ultra easdem transmigrante, quod aperte demonſtrant lingua quam maxime glutinoſa, aut glabra, vomitiones pituitoſæ bilioſæ

lioſæ allevantes, ſive ſpontaneæ eæ fuerint, ſive arte excitatæ; (STOLL *l. c. P. II. p.* 162. 248.) ſæpe enim exhibita ſtatim in morbi principio laxantia, ſervataque per totum ejus decurſum alvus lubrica, morbum non ſolum breviorem fecit, ſed exanthematum quoque eruptionem ſymptomaticam feliciſſime prævenit, vel minuit. (BRÜNING *l. c. præf.* QUARIN *l. c. p.* 77.) Hinc enim eſt, quod in acutis, præſertim in variolis & morbillis, ſi alvus diutius obſtructa ſit, vel diarrhœa ſalutaris ſiſtatur, facile purpura ſubſequatur; (HOFFMANN *Med. Syſt. T. IV. P. I. S. I. C.* 9.) hinc eſt, quod puerperæ, ſi ſordes primarum viarum graviditatis tempore collectæ expurgari negligantur, facillime hoc morbo afficiantur; (*ibid.*) quod dyſentericis tunc inprimis periculoſa miliaria accedant, ubi in principio debita evacuantia in uſum non vocata fuerunt. (ZIMMERMANN *v. d. Ruhr. p.* 26.) In hac vero bilioſa miliarium ſpecie nihil ad curationem conferet cortex peruvianus, quæ evacuantibus potiſſimum perficitur, niſi ubi morbus intermittere incipit, quod poſt purgationes arte factas ſubinde feliciter evenit; aut ubi neglectis in principio morbi evacuantibus putredo jam per omnem ſanguinis maſſam diſſeminata eſt, aut intempeſtivis phlebotomiis vires convulſæ & jamjam ruiturum ædificium ſuſtentans ex cortice fulcrum expoſcit. (STOLL *l. c. p.* 166. 248.) Aliquando

do vero cum vera putrida ſanguinea maligna febre juncta ſunt miliaria, & puſtulæ liveſcentes, petechiis interſperſis, oleoſus fœtidus ſudor, urina lurida nigra, dejectiones alvinæ atræ fœtidiſſimæ, ingens virium damnum, tremores, tendinum ſubſultus, deliria, pulſus inæqualis, debilis, intermittens, apparent, quo in caſu antiſeptica, cardiaca, in auxilium vocanda & præcipue corticis peruviani vires tentari debent; (VAN SWIETEN *l. c. T. III. p.* 214.) licet enim interdum acida mineralia, leniora, diaphoretica cardiaca ſuffecerint, cortex tamen multo ſæpe præſtantior fuit, quam omnia cætera remedia, magnis doſibus exhibitus, & in eo præcipue caſu, ſi horripilationes febrisque exacerbationes certis horis redeunt; & binos ægros imminentibus jam gangrænæ viſcerum ſignis cortice ad drachmam dimidiam omni hora propinato ſervavit DE STOERCK, (*l. c. p.* 52.) & ſane ill. DE HAEN (*Theſes ſiſt. febr. diviſ. p.* 88.) in caſibus, in quibus ægros fere deſperatos ſuſcepit, qui aut hemitritæis neglectis, aut febre continua putrida, eaque peſſima, laborarent, vel qui præ debilitate vix ultra febrientes peſſimis quibusvis ſymptomatibus affligerentur, ſive jam miliaria, petechiasque haberent, ſive easdem brevi, ſi vitam protraherent, habituri ex anteactis viderentur, læte vidit dato cortice peruviano copioſo, vel ſine progreſſu exanthematum, vel etiam uberiore eo-

rum-

rundem ſecretione ſanitatem integram incredibile quam cito, quamque perfecte, rediiſſe, cujus rei exempla plura enumerat, e. gr. ipſius cl. HASENÖHRL febre putrida maligna decumbentis & ſexto jam morbi die innumeris petechiis & puſtulis miliaribus albis ſcatentis, corticis inprimis extracto ad unciam unam quotidie propinato reſtituti; & cl. KOLLMANN eadem febre affecti cum graviſſimis ſymptomatibus, deliriis, alvo involuntaria, iſchuria, tendinum ſubſultubus, ſumma virium proſtratione, eodem cortice ſanati; ut plura exempla taceam, in quibus omnibus cortex incomparabile erat cardiacum, quod exanthematum expulſionem ſumma cum ægrorum euphoria promovebat, ſuſtinebat, maturabat, perficiebat, cæterasque criticas excretiones egregie promovebat; (*Rat. med. T. III. p.* 37.) ſummum etiam in febre iſta ſcarlatino-miliari anginoſa ex corticis uſu fructum obſervavit cl. BRÜNING, adeo tuto enim huic morbi medebatur, ut ex omnibus illis, quorum curam geſſit, quibus cortex miniſtratus fuit, deceſſerit nemo; vires enim vitæ roborando, & corruptam putridam materiam corrigendo, ſanæque mixtioni reddendo, fomitem mali reſtinguebat, eoque ipſo exanthematum eruptionem minuebat, retropulſa revocabat; (*l. c. p.* 64) neque enim timendum eſſe, ne forſan cortex ſalutarem exanthematum eruptionem impediat, & ſtringente ſua

vi

vi noxiam materiam retropellat, demonſtrat caſus ægri anginoſa febre cum ſcarlatina & miliaribus decumbentis; cui, ut tenſivos & incommodos maxime crurum brachiorumque dolores mitigaret, balneum ex aqua calente, ſale & furfuribus applicabatur, eo vero cum eventu, ut ſtatim pectoris inſolita oppreſſione validisque angoribus premeretur, extremitates quaſi paralyticæ jacerent, exanthemata retrocederent, colorque ſubalbeſcens pallidus manus pedesque occuparet; cum pulſu debili, inæquali, intermittente, deliriis; dato autem decocto corticis ſaturato ſuppreſſa purpura & artuum dolores redibant, reſpiratio liberior evadebat; anxietates ſilebant, pulſus plenior & magis æqualis reddebatur, & ſub continuato corticis uſu perfecta ſanitas redibat; (*ibid. p.* 111.) qualia ſimilia repulſorum exanthematum ex corticis peruviani uſu redeuntium exempla narrat DE HAEN (*l. c. P. V. cap.* 7. *caſ.* 2. 7. 12.) Uti igitur cortex protruſam vi vitæ nimis actuoſæ perverſoque regimine nimiam exanthematum copiam revocat, eorumque eruptionem cum viſibili ægrorum euphoria minuit, (BRÜNING *l. c. p.* 114. *caſ.* 8.) ſic contra, languentes naturæ vires refocillando, exanthematum noxiæ retrogreſſioni medicatur, eorumque reditum promovet.

Non abſimilem reſpectu corticis curationem expoſcunt febres aphthoſæ, cum veroſimiliter

materies aphthoſa & miliaris eadem ſit, in eo ſolum hæc exanthemata differant, quod uti miliaria externam corporis ſuperficiem obſidentia in furfures abeunt & ſquamulas, ſic aphthæ ulcerantur, & totidem diſcreta & albicantia ulcuſcula exhibent, id quod loco eorum natali calido humidoque debetur; hinc & in eodem morbo utraque juncta ſæpius apparent, & in iis locis ubi aphthæ frequentius occurrunt, miliaria rarius obſervantur & viceverſa. (VAN SWIETEN *T. III. p.* 214. STOLL *l. c. T. II. p.* 167.) Uti igitur illa ſic etiam hæ interdum cum febre inflammatoria junctæ ſunt, atque venæſectiones, reſolventia & veſicatoria expoſcunt; (SELLE *l. c. p.* 161.) aliquando ſigna colluviei bilioſæ adſunt, & catharſi removentur; (SAUVAGES *l. c. p.* 456.) ſæpius vero cum putrida & gangrænoſa ſanguinis diatheſi complicantur, ubi etiam ipſæ papulæ aphthoſæ cineritiæ & nigreſcentes conſpiciuntur, & antiſeptica, præcipue cortex peruvianus, proſunt. Decoctum enim corticis, dicit cl. VOGEL (*prælect. p.* 124.) ſeparationem aphtharum egregie facilitat & ipſam febrim putridam edomat; jam SYDENHAM quidem in aphthis, quæ poſt certam epidemicam febrem frequentius occurrebant, corticis peruviani uſum commendavit, atque affirmavit, illud remedii genus certius in hoc caſu ſcopum attingere, quam aliud quodvis, tum ad febrim tollendam, tum ad cru-

ſtas aphthoſas ſeparandas; (*l. c. p.* 656.) quo authore etiam ill. VAN SWIETEN aliquoties tentavit in ægris debilioribus, aphthis jam ſatis denſis apparentibus, dare decoctum corticis, ut febrem compeſceret, & mirabatur, cruſtas aphthoſas citius cecidiſſe in his, quam in illis, in quibus firmiores vires & febris mitior ejus uſum non poſtulaverant. (*l. c.*)

Similiter etiam febres petechiales, licet plerumque putridæ indolis ſint, maximam tamen reſpectu uſus corticis requirunt cautionem. Apparent enim quandoque petechiæ, ubi nulla ſanguinis putredo, ſed e contrario diatheſis ſanguinis inflammatoria deprehenditur, ſanguis eductus cruſta inflammatoria tectus conſpicitur, pulſus durus, plenior, venæſectionem requirit, etim reliqua cura prorſus eadem eſt, ac in febre inflammatoria ſimplici, ubi igitur ad corticis uſum nulla indicatio adeſt. (DE HAEN *P. IV. p.* 218. *P. V. p.* 4. *P. IX. p.* 74. QUARIN *l. c. p.* 87.) Sæpe etiam petechiæ in febribus bilioſis ex ſordibus primarum viarum originem ducunt, atque purgantibus optime & unice tolluntur; qualem epidemicam febrem petechialem deſcribit cl. STRACK (*l c.*) cum nauſea, appetitus defectu, abdominis tenſione, diarrhœa fœtida, lingua ſordida, urina jumentoſa, præcordiorum oppreſſione, cæterisque ſordium bilioſarum ſignis conjunctam; in qua quidem nullum ægrorum inficiebant petechiæ, cujus præcordia pura erant, vel certe, mo-

 do

do putrida colluvies adhibito protinus auxilio omnis evacuabatur, ſubito etiam febris ceſſabat, ipſæque petechiæ diſparebant; e contra, in quorum ventre impura diu relinquebantur, in eorum etiam cute ipſæ petechiæ permanebant, & ſi quæ evanuerant, iterum revertebantur, quare etiam nulla alia remedia ſive refrigerantia, ſive ſudorifera, ſive malignitati cuidam oppoſita morbum curabant, ſed ſola ea, quæ putridam in primis viis ſtabulantem materiam corrigebant, & educebant. Nondum menſis elapſus eſt, ex quo mater quædam anxie me ſollicitabat, ut ægrotam puellam quinque annos natam inviſerem, quam ſtatim adii, & inveni totum truncum corporis & extremitates maculis iisque nigris obſitas, ſine ullo quidem febris indicio, ambulabat quippe, & cibos avide appetebat, & exceptis hiſce veris petechiis ſana eſſe videbatur; interim habitus corporis ſubtumidus, oculorum conditio, abdominis tumor & durities fomitem morbi ſatis aperte oſtendebant; præſcripto igitur purgante putridæ pituitoſæ & verminoſæ materiæ copia excernebatur, qua ultra repetitis alvi ductionibus evacuata petechiæ ſtatim evaneſcebant, & ſanitati reſtituebatur puella. Quam inutilis vero corticis uſus in hiſce bilioſis petechialibus febribus ſit, ſatis demonſtrant illa, quæ cl. STRACK (*l. c. p.* 223.) adducit, exempla ægrorum, in quibus licet cortex larga manu adhibitus fuerat, morbus tamen

neque

neque mitior evenit, neque ipſæ petechiæ imminutæ, neque vires reſtauratæ ſunt, purgantia vero adhibita mox morbum ſanaverunt; niſi forſan intra ipſum morbum, quo tempore cortex peruvianus adhibebatur, largum aliquod alvi profluvium erumpebat, quo tunc tutior curatio reddebatur, propterea quod cortex impura, interea dum aliquantum ex his infra ſecedebat, cætera intus tanquam quopiam condimento conficiebat, & cavebat his ne viſcera corrumperentur. Supervacuaneus igitur corticis uſus eſt in hiſce febribus, quoties morbi fomes in primis viis hæret, & tunc tantum neceſſarius & utilis deprehenditur, ubi late diffuſæ ſunt petechiæ & putredinem ipſi ſanguini communicatam eſſe monſtrant, vel ubi tanta putridæ bilis acrimonia deprehenditur, ut exinde partium illarum, quibus potiſſimum & tenaciter inſidet, gangrænoſa corruptio metuenda ſit, tunc enim cum fructu cortex aut cum purgantibus jungitur, aut juxta clysmatum uſum adhibetur; (*ibid. p.* 235.) ſic etiam HUXHAM (*l. c. T. II. p.* 118.) QUARIN (*l. c. p.* 88.) in febribus petechialibus putridis bilioſis, ubi abdomen tumidum, appetitus proſtratus, alvus admodum fœtens, lingua ſpurca, obſervetur, purgantibus acidorum mineralium & corticis peruviani uſum interponendum eſſe docent.

Sed & petechiæ in febribus erumpunt, ubi materies morbi primo ſanguinem & humores in-

 fecit,

ſecit, atque ſaburræ in primis viis latitantis ſigna aut omnino abſunt, aut ejusdem humorum putredinis ſequelæ potius, quam cauſæ ſunt; atque hæ omnino largiſſimum antiſepticorum & præprimis corticis peruviani uſum requirunt; cum acidis quidem combinati, ſi æſtus major, pulſus plenior, vires igitur circulationis nimis actuoſæ apparent; cum excitantibus ſtimulantibus, camphora, vino, veſicatoriis, ſi circulatio languet & vires labefactæ erigendæ ſunt; (LUDWIG *Adverſ. med. pract. V. I. p.* 69. QUARIN *l. c.*) Neque, cum ſymptomatica tantum ſint hæc exanthemata, de eorum ſub corticis uſu retroceſſu aliquid metuendum eſt; petechiæ enim numeroſe in corpore fœminæ cujusdam erumpentes, numeroſiores longe dato cortice prodibant; in alia vero, eodem dato remedio, mox evaneſcebant, utraque tamen ægra æque feliciter ac cito curabatur. (DE HAEN *Rat. Med. P. IV. p.* 5.) At ſi etiam, quod interdum licet rariſſime contingit, cum levamine & critice apparerent, ex corticis tamen uſu minime retinentur, ſed potius earum eruptio promovetur; ſic enim in ægro quodam febre epidemica correpto, cui inter varia ſpaſtica convulſiva ſymptomata ſeptimo morbi die petechiæ cum levamine erumpebant, quæ vero nono die cum augmento omnium malorum ſymptomatum iterum retrogrediebantur, datis corticis cum moſcho mixti magnis doſibus, undecimo die petechiarum

copia

copia cum univerſali calido ſudore rurſus apparebat una cum urina critica, ex quo ipſo tempore febris in decrementum abibat. (SARCONE *l. c. T. III. p.* 157.)

Quod tandem eryſipelas attinet, adeo levia quidem ſymptomata hoc exanthema ſæpius comitantur, ut facillime ſive ſolius naturæ autocratia ſponte evaneſcat, modo diæta ac regimine juſto natura adjuvetur. Interdum vero vehementius ægrum afficit, cum febre valida, capitis gravitate & dolore, inſigni faciei tumore, deliriis, ſopore, ubi efficacioribus remediis opus eſt, ut phrenitis, lethargus, angina lethalis prævertatur. Hæc curatio vero varia eſt, atque iterum febris comitantis genio accomodari debet; quæ quidem interdum inflammatoriæ indolis eſt, cum pulſu pleno duro, ſanguine educto pleuriticorum ſimili cruſta tecto, in quo caſu venæſectiones & antiphlogiſtica adhiberi debent; longe ſæpius vero colluvies acris bilioſa in primis viis latens eryſipelata producit, & vel vehementiſſimis vigentibus ſymptomatibus ac febre cito tamen per purgantia alvina expugnantur; ita ut teſtante FREIND (*Comment. de febr. Op. p.* 50.) nullum remedium potentius præcaveat, ne eryſipelas ita longe ſerpat, quam purgatio temporius adhibita, & ſi febris vehementior, coma, delirium, nervorum diſtentionem, aliave graviſſima ſymptomata excitet, aut nulla ſit ſalutis ſpes, aut purgantia maxime & unice ſint profutura, quæ

nimi-

89-20

nimirum morbi fomitem ex primis viis educunt. (BIANCHI *hiſt. hep. T. I. p.* 332. TISSOT *Opuſc. T. I. p.* 126. SCHRÖDER & ZIEGLER *Diſſ. de febr. Eryſiſ.* QUARIN *l. c. p.* 110. STOLL *l. c. T. II. p.* 248.) Eadem ratione etiam colluvies verminoſa interdum eryſipelata fovet, adverſus quæ medicamenta antiphlogiſtica optima nunquam quid proſunt, adminiſtratis vero alvum ducentibus, vermium nidum deſtruentibus remediis facili negotio tolluntur. (VAN DEN BOSCH *l. c. p.* 179.) Neque ergo in hiſce febribus utut vehementes ſint, vel malignitatem mentiantur, ex corticis uſu quid ſperandum eſt, niſi forſan putrida bilis per ſanguinem diſperſa ſimilem ipſi corruptionem induxerit, vel eryſipelatis in gangrænam tranſitum minetur, præter evacuantia antiſepticorum ſimul uſum requirentem; quale eryſipelas putridum ſæpius cum angina putrida complicatum occurrit; (FOTHERGILL *l. c. p.* 33. HUXHAM *l. c. T. III. p.* 105.) ſic etiam in epidemia iſta putrida verminoſa ſæpius eryſipelata malleolum occupantia obſervavit VAN DEN BOSCH, (*l. c.*) adverſus quæ præter purgantia citus & largus corticis peruviani uſus adhiberi oportebat; & exemplum refert puellæ præviis torminibus eryſipelate valido gangrænam minitante ſupra malleolum prehenſæ, vermibus vero per purgantia evocatis & largo dato cortice intra quatriduum maximo ex periculo ereptæ & ſanitati reſtitutæ. (*l. c. p.* 114.) Iisdem in caſibus ſi pars eryſipelate affecta liveſcat, & gangrænæ ſigna conſpiciantur, præter internum corticis uſum, etiam externe antiſeptica ex ruta, ſcordio, cortice peruviano cum vino & aqua parata in auxilium vocari poterunt. (QUARIN *l. c. p.* 114.)

J779
R148a